DE AESCHINIS ORATORIS VITA

SCRIPSIT

EWALDUS STECHOW PH. DR.



BEROLINI A. MDCCCXLI.

TYPIS ACADEMICIS.

REDEMPTORE GUIL. BESSERO.

PARENTI OPTIMO

IO. FRIDERICO STECHOW

AD AEDEM NICOLAITANAM SPANDOVIENSEM ARCHIDIACONO

VIRO INTEGERRIMO

FILII PIETAS.

ARGUMENTUM.

Cicero de opt. gen. orat. initio: „Optimus est orator, inquit, qui dicendo animos audientium et docet et delectat et permovet. Docere debitum est, delectare honorarium, permovere necessarium". Quod si igitur permovere necessarium est, oratori licebit, immo potius opus erit operam dare, ut inveniat et exquirat quaecunque ad permovendos quo velit audientium animos prodesse possint. Itaque, quoniam res humanae in peius ruunt, ne miremur, oratores praesertim illis temporibus, quibus civitates Graeciae ad unam omnes perversitate morum et rerum reliquam libertatis umbram dimittebant Macedonumque auctoritati obnoxiae esse inceperant, tot artificiis ac fallaciis consequi studuisse, quod inconstans blanditiarumque appetens quem ducebant populus ut faceret, sive ipsorum commodo sive patriae salute incensi volebant: contra vel maximi oratoris est, omnia quae consilio suo servire possint argumenta, atque haud raro callidissime, suae rationi adstringere. Idque ipsum est cur cavendum sit, ne oratorum verbis et argumentis temere fidem habeamus. Quamquam sunt quidem adhuc qui verba Demosthenis ut iustissimi, honestissimi, ab omni cupiditate remotissimi, veracissimi accipiant; quae vero ab aliis sive de moribus sive de ratione civitatem regendi contra Demosthenem dicta et disputata sunt, haec ut falsissima ex nefariorum adversariorum invidia atque improbitate in eum conflata protinus iudicent (1). Quo factum est ut iudicio Aeschinis offecerit, adversarium eum maximo oratori fuisse; ita ut Aeschines nonnisi pravissimus homo atque impiissimus patriae proditor a plurimis existimetur (2). Non quidem is sum qui contendam, oratorem virum bonum esse oportere, nec futurum oratorem nisi virum bonum

(1) A. G. Becker in litterat. Demosth. ubivis Demosthenem tamquam heroem proponere nimis studet.

(2) Augerius in vers. Demosth. Aeschinem dicit la creature de Philippe T. II. p. 94. cfr. Weiske de hyperbole errorum in historia Philippi commissorum genitrice, Misnae 1819. P. I. n. 74.

(Quinctil. instit. orat. XII. 1. §. 3.). Nam qui id censent ipsi se refellunt, cum Aeschinem, Hyperidem, Demadem aliosque, quos secundum eloquentiae locum tenere profitentur, homines pravissimos nominant. An statuere isti velint, veterum oratorum, qui de principatu una contenderunt, eos esse praestantiores, quanto virtute civili praestitissent? Nec Quinctilianus (ibid. §. 15.) Cicerove nec qui de vita Demosthenis exposuerunt vel qui singularia quaedam attulerunt alia agentes, satis apposite ad persuadendum excusare valuerunt, quae Idomeneus, Demetrius Phalereus aliique in vita Plutarchi, vel Polybius, qui temporibus Demosthenis proximi vixerant, ei exprobrarunt.

Quia enim Demosthenis quae nunquam quiescit mentis agitationem videmus, assiduisque laboribus occupatum, ut novas rationes inquireret, quibus cives suos e veterno exsuscitaret et instigaret ad nitendum summa ope, ne quid detrimenti e desidia eorum reipublicae eveniret; contra vero Aeschinem cives pacantem ac monentem, ne novum bellum subeuntes prorsus rempublicam everterent, ergo desidiae Atheniensium patrocinantem: Demosthenes animos, amorem, quin pietatem amplius quam Aeschines capit, praeterquam quod ingenii viribus et loquendi arte omnes ipsumque Aeschinem relinquit. Sunt haec cur rhetores seriores, qui Demosthenis eloquentia eruditi omnes omnia huic debent, in verba magistri, ut ita dicam, iuraverint, atque in ea quae in inimicum fecit. Inde prodierunt istae comparationes Demosthenis et Aeschinis (συγκρίσεις) Libaniorum, Nicolaorum, aliorum, in quibus fama factaque Aeschinis nimis confecta sunt ([3]). Nostrum igitur erit, ut mitius si forte de eo iudicetur studere.

Huius igitur instituti qui nobis materiam praebeant duos habemus fontes, alterum qui ex ipsius oratorum paris orationibus fluit, alterum parcam quidem sed in reliqua penuria magni faciendam grammaticorum et rhetorum supellectilem. Horum principem sine dubio locum tenere videtur Philostratus in vita sophistarum Aeschinem tractans, cui et plurima debemus neque ex iisdem ducta rivulis, unde reliqui hauserunt. Quales sunt Photius, qui in bibliotheca cod. 264 iisdem fere verbis eodem-

([3]) Erant declamationes in scholis habendae. Vide de μελέταις rhetorum Wolf. proll. in orat. Leptin. p. xxxv. et alios ap. Weiskium l. l. I. p. 51. n. 112.

que sententiarum ordine Pseudo-Plutarcheam vitam Aeschinis sequitur ([4]); in cod. 61 alium nescio quem antecessorem habet: Apollonius, cuius narratio Aeschinis orationum agmen ducit, nihil fere affert praeter ea quae in orationibus et Demosthenis et Aeschinis legerat. Nec magis Anonymus ille Philostrato et Pseudo-Plutarcho lectis novi quidquam tradet. Quae Suidas duobus locis dedit parvi momenti sunt, Eudocia nihili. Libanii et vituperationem Aeschinis et comparationem Demosthenis et Aeschinis non sine fastidio quodam legere valebam; affero v. c. ex vituper. Aesch. haec: *ἀλλὰ γὰρ τοῦτο μόνον καλῶς ἐποίησεν* (Aeschines), *ὃς τὸν Κτησιφῶντα γραψάμενος ἔφυγεν Ἀθήνηθεν.* et initium comparat. Dem. et Aesch.: *Οὔτε κάλλιον οὐδὲν Ἀθήνησι γέ[illegible] Δημοσθένους· κάκιόν τε οὐδὲν Αἰσχίνου.* — et paullo inferius: *εἴγε δοῦλος ἦν ὁ πατὴρ ἐκείνῳ, καὶ οὐ δοῦλος μόνον, ἀλλὰ καὶ πονηρὸς οἰκέτης· οὐ γὰρ ἂν ἐν πέδαις ἦν, εἰ μὴ πολλάκις εἴληπτο κακουργῶν. πᾶς οὖν εὖ φρονῶν ἐπῄνεσε μητέρα Δημοσθένους, τὴν δὲ Αἰσχίνου Λευκοθέαν ἐπῄνουν οἱ χρώμενοι μόνοι.* Scilicet Libanius ea, quae Demosthenes de cor. p. 270 parentibus Aeschinis maledicens mentitus est, vividiore animo sibi depinxit. Nec minus excessit modum Nicolaus in Progymnasmatis (vide in rhet. Gr. ed. Christ. Walz. Vol. I. p. 360 sq.) ([5]). Reliquorum, qui non data opera sed fortuito Aeschinem attigerunt, suo quemque loco memorabo.

Recentiorum scriptorum commentationes legi Abbatis Vatry in annal. Acad. Inscript. Vol. XIV. litterat. p. 84 sqq. (Recherches sur la vie et les oeuvres d'Eschine) et Francisci Passovii in Encyclopaediae Halensis vol. altero. Qui etsi in familiarium epistolarum quas Wachleri ediderunt una aliqua ipse professus est, se defuncto dudum homini Attico talem honorem tribuisse, quali si viveret ipse gauderet: nos quidem rem ipsam spectantes nondum satis consuluisse oratoris famae negare non possumus. Id quod ex ipsa quam iam aggredimur quaestione proditurum speramus.

([4]) Id quod idem fecit in vita Hyperidis cod. 266, in vita Lycurgi cod. 268, in vita Lysiae cod. 262, aliis.

([5]) Incipit his verbis: *Δημοσθένης εἰκὼν ἀρετῆς, ὥσπερ Αἰσχίνης κακίας παράδειγμα· καὶ τὴν κακίαν κατηγορουμένην μᾶλλον εὑρήσομεν, ὅσῳ πρὸς Δημοσθένην ταύτην ἀντεξετάσομεν· κακία μὲν γὰρ ἀξία κατηγορεῖσθαι* cet. — *οὔτ᾽ οὖν Αἰσχίνης περὶ τοὺς πονηροὺς φανήσεται κάκιον, οὔτε Δημ. ἐν τοῖς ῥήτορσιν ἄμεινον* etc. etc.

PARS I.

DE VITA AESCHINIS PRIUSQUAM AD REMPUBLICAM GERENDAM ACCEDERET.

§. 1.

Aeschines, Atrometi (1) filius, Atheniensis e tribu Cothocidarum. Qui pauper quidem a patre relictus, quem antequam bello Peloponnesiaco bonis exutus esset, athletam, deinde a triginta viris patria expulsum, in Asia militia egregie functum fuisse legimus (2), honesto tamen genere ortus, utpote qui e curia esset sacra communiter habentium cum Eteobutadis, praeclarissima sacerdotum gente (3), ac libero quamvis parum illustri; nec minus a matre libero erat genere, Glaucothea, Glauci Acharnei filia (4). Demostheni enim nulla est habenda fides, qui temporis sui vulgare vitium impune maledicendi viris vel honestissimis nimis saepe ac libenter sequens, ut inimicissimo homini obtrectaret, contumelias undique maximas in totam familiam temere conflare studebat. Tamen est ubi maledicentissimus deprehendatur Demosthenes, ut mihi videtur, hoc. Mater Aeschinis mysteriis magnis subministrabat; quod munus religiosum cum foedissime vertisset, priore quidem adversus Aeschinem habita oratione (5) nihil adiecit, posteriore tamen longo temporis spatio intermisso consectatur (6): *τὴν δὲ μητέρα σεμνῶς πάνυ* Γλαυκοθέαν *ὠνόμασεν* (Aeschines), *ἣν* Ἔμπουσαν *ἅπαντες ἴσασι καλουμένην, ἐκ τοῦ πάντα ποιεῖν καὶ πάσχειν δηλονότι ταύτης τῆς ἐπωνυμίας τυχοῦσαν· πόθεν γὰρ ἄλλοθεν*; quae verba extrema et *δηλονότι* satis

---

(1) Aesch. *περὶ πρεσβ.* p.38.18 H. Steph., p.47.35 omnesque script. vit. Aesch.

(2) Aesch. ibid. p.47.38 sqq.

(3) ibid. p.47.40. De praestantia ac munere huius sacerdotalis gentis vide O. Müller de sacris et aede Minervae Poliadis p.8 sq.

(4) Aesch. *περὶ πρεσβ.* p.38.22. cf. p.47.41.

(5) Dem. *περὶ παραπρεσβ.* p.419. p.431. ed. R.

(6) Dem. *περὶ στεφ.* p.270 fin. — Harpocr. s.v. Ἔμπουσα· *φάσμα τί φασιν εἶναι τῆς* Ἑκάτης, *ὃ τοῖς δυστυχοῦσιν ἐφαίνετο. πλήρης δὲ τοῦ ὀνόματος ἡ κωμῳδία.* cf. Meieri prooem. scholarum Hal. hib. a. 1836 - 37. p.XI sq.

evincunt, non cognomen illud, quod ex mysteriis vel nescio unde acceperit, verum causam cur cognomen acceperit a Demosthene fictam esse. Neque magis fidem habeo, quod de nomine Atrometi mutato ex Tromete tradit (7), nec de Aeschine qui in civitatem surrepserit; id quod increpare illis temporibus Atheniensibus imprimis in promptu erat. Atrometum litterarum elementa docuisse, id quod alias plerumque servi facere solebant (8), narrans Demosthenes *περὶ παραπρ.* p. 419 addit verba *ὡς ἐγὼ τῶν πρεσβυτέρων ἀκούω, πρὸς τῷ τοῦ Ἥρωος τοῦ ἰατροῦ*: quod vero illo loco dubium reliquit, id *περὶ στεφ.* p. 270 pro certo pronuntiat, neque nescit, apud Elpiam, qui ad Thesei templum scholam habuisset, servi munere eum functum esse; nimirum duodecim fere annis intermissis accuratissime istud perscrutatus est bonus ille Demosthenes. Parentes Aeschinis aetate valde provecti Ol. 109. 2 (a. 343), quo anno orationem *περὶ παραπρεσβείας* habitam Dionysius Halic. tradidit, etiamtunc vixerunt, pater nonaginta quatuor annos natus, mater minimum septuagenaria fuerit necesse est (9). Patrem anno post mortuum videmus e loco Aeschinis *κατὰ Κτησιφ.* p. 81. 21.

§. 2.

Hisce vero parentibus quo anno natus sit Aeschines, ex oratione eius adversus Timarchum perspici potest (p. 7. fin.): *ἔστιν ἡμῖν τουτὶ πέμπτον καὶ τετταρακοστὸν ἔτος.* Nempe significant haecce verba nihil nisi Aeschinem tunc quadragesimum quartum excessisse. Quae oratio cum anno 344 exeunte vel ineunte 343 a. Chr. n. sive Ol. 109, 1 habita sit, quod infra pluribus demonstrabimus, eo nos ducimur, ut annum Aeschinis na-

---

(7) *περὶ στεφ.* p. 270. 7. In orat. *π. παραπρ.* huic non tantum non maledicit, sed ne nomen quidem Trometis commemorat; immo potius ibi p. 431 fin. dicit: *τὸν δὲ Ἀτρομήτου τοῦ γραμματιστοῦ καὶ Γλαυκοθέας τῆς τοὺς θιάσους συναγούσης.* Apollonius in vita Aesch. idem de Trometis nom. commutatione referens unum Dem. sequitur propter illud *φασί.*

(8) Boeckh. Oecon. Athen. I. p. 128: „Nach dem Pelop. Kriege mufsten selbst Bürger, welche auf einem höhern Fufse zu leben gewohnt waren, so viele Überwindung es kostete, durch Taglohn oder auf andre Art mit ihrer Hände Arbeit sich ernähren, weil sie ihre auswärtigen Ländereien verloren hatten, wegen des Geldmangels und der geringern Bevölkerung die Miethen gesunken und Anleihen nicht zu erhalten waren. (Xenoph. memor. Socr. II. 7, 8.)."

(9) Aesch. *περὶ πρεσβ.* p. 47 sq. — *ἡ μὲν ἐμὴ μήτηρ ἔφυγε μετὰ τοῦ αὑτῆς ἀνδρὸς ἐπὶ τῶν τριάκοντα εἰς Κόρινθον,* quod factum verosimile est Ol. 94. 1.

talem statuamus a. 388, i. e. Ol. 98. 1 (10). De puerilibus eius annis nihil cognovimus; nam Demosthenis illum locum (11) omnino praetermittere licet, quo malignissimum et subdolissimum Demosthenem nullus planius ostentat, eundemque, ut rerum divinarum maximus contemptor erat, deridentem mysteria sacra, quae, quum omnia ad pietatem deorum pertinentia, splendidissimis, in quas opes publicas Athenienses impendebant, pompis exceptis spernerentur, inter vulgus tum vehementer ad ludibrium redigi coepta erant. Sequimur id, quod in Plutarchea vita ceterisque legimus: *ἔτι παῖς ὢν ἐδίδασκε γράμματα σὺν τῷ πατρί* (12). In rei igitur familiaris angustiis temporibus illis Peloponnesiacum bellum secutis, quibus Athenienses subsidiis sociorum exuti, navibus opibusque nudati vile atque exiguum imperium habebant, et subrepentes, quae omnes iam tum civitates Graecas tenebat, perturbationem rerum in suum usum convertere studebant, e pueris excessit Aeschines cum fratribus Philochare maiore natu et Aphobeto minore (13). Pseudo-Plutarchus solus: *νέος δὲ ὢν καὶ ἐῤῥωμένος τῷ σώματι περὶ τὰ γυμνάσια ἐπόνει*, quod unde hauserit, nisi forte ex communi Atheniensium more de suo addidit, non habeo (14). Aeschinem au-

---

(10) Passovius annum 393 unde acceperit ignorare me fateor. Winiewski comm. in Dem. orat. de cor. Monasterii 1829. p. 53: Ol. 97. a. 2 vel 3. Clinton F. Hell. ed. Kr. p. 181: natus erat circiter 389.

(11) *περὶ στεφ.* p. 313 sq. Quam enim anceps sit hoc loco Demosthenis fides, planissime dudum praestitit Lobeckius Aglaoph. p. 664 sqq. aliud consilium persequens. — Demosthenis locum quotiescunque legebam, semper in mentem mihi veniebant verba Reiskii egr. viri, qui dum epistolas Dem. germanas esse defendit, dixit, Demosthenem in his non esse „der boshafte Chicaneur, der seine gehässige, wetterwendische, zanksüchtige, sophistische Klaffzunge in den Reden nur allzuoft hören läſst."

(12) Iisdem fere verbis Phot. cod. 264. Apollonius plane Demosthenem l. c. secutus est. Incertus vitae scriptor: *φασὶ δὲ αὐτὸν παῖδα μὲν ὄντα ἐν τῷ διδασκαλείῳ τοῦ πατρὸς ὑπουργεῖν καὶ τῇ μητρὶ τὰς βίβλους ἀναγινώσκειν*, ad quem locum bonus Hier. Wolfius annotavit: „Hoc ut fortunae tenuitatem arguit, ita laudem pietatis et industriae potius Aeschini quam infamiam conciliat apud cordatos quidem homines, qui fortunam nemini obiiciendam esse censent: ut Demosthenes etiam confitetur." *π. στεφ.* p. 312.

(13) Apoll. e Dem. *π. παραπρ.* p. 415. *Φιλοχάρης*. Phot. cod. 61 *Φιλόχαρις*. Ps. Plut. negligenter: *ἔσχε δὲ καὶ ἀδελφοὺς, ὥς φησιν αὐτὸς, Ἄφοβον καὶ Δημοχάρη*.

(14) Passovius p. 73 dicens, Aeschinem tamquam tirones instituentem stipendio artem gymnasticam exercuisse, cum not. 5 ibid. ad hunc Plut. locum et ad Dem. de cor. p. 313 provocarit, equidem ignoro mehercule, qui ad hanc sententiam pervenerit.

ditorem fuisse Isocratis et Platonis, Apollonius utique negat addens, alium fuisse Aeschinem Eleusinium, ὃς καὶ τέχνας λέγεται ῥητορικὰς γεγραφέναι (cfr. Eudociam). Philostr. vit. Aesch. III.: Ἀκροατὴς δὲ Πλάτωνός τε καὶ Ἰσοκράτους γενόμενος πολλὰ καὶ παρὰ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως ἠγάγετο. Hoc, et quod Isocratis dicitur auditor fuisse (Ps. Plut.) et etiam Antalcidae (Phot. cod. 61.), Caecilio auctore Leodamantis (Ps. Plut. et Phot. cod. 264.) ortum esse mihi videtur ex studio posteriorum rhetorum sermonem cuiusque scriptoris cum aliorum comparandi, ut docerent, ex clarissimis disciplinarum magistris cuius vestigia in genere scribendi quisque secutus esset. Neque uspiam ipse Aeschines de praeceptoribus loquitur, quamvis quoties doctrinam suam praedicat atque ostentat ([15]), locus datus sit hos nuncupandi. Angustiis igitur vitae e pueris excessit suo potissimum studio eruditus, et a patre instructus, qui omnia reipublicae mala expertus et horum peritus idem plus certo tradere filio potuerit litterarum primis elementis; atque ex ipsis Aeschinis orationibus satis intelligimus, eum Homerum suum Hesiodumque bene memoria tenuisse ([16]).

§. 3.

Antequam numero civium adscriptus erat, id quod fieri solebat duodevigesimum annum egressis ([17]), tertiis fabularum partibus agendis victum sibi paravit. Sequor enim scriptores vitae, qui ad unum omnes prius histrionem fuisse Aeschinem quam scribam tradunt, et quod Anonymus ille dicit: γενόμενον δὲ μειράκιον ὑποκριθῆναι τραγῳδίαν ὥςτε τριταγωνιστεῖν; nam cum μειράκιον dicatur ἀμφὶ τὰ τέτταρα καὶ δέκα ἔτη σχεδόν ([18]), et Aeschines civibus adscriptus inter peripolos per duos annos militiam auspicatus sit ([19]); ergo posthac μειράκιον nullo modo vocari posset: iustis causis nostra contendisse videmur. Quamquam Demosthenes Aeschinem (nimirum multo maiori odio ei erat) e scena illico in rostra profectum depinxit ([20]). Malum histrionem fuisse Aeschinem, Demosthenes ubivis ex-

([15]) adv. Timarch. p.19.40. Ceterum cf. Ruhnk. hist. cr. p.63. Westerm. hist. el. 45.21; 59.9.

([16]) adv. Tim. p.21.1; p.20.15; adv. Ctesiph. 73.1; 86.40.

([17]) Pollux VIII.105. Lycurg. in Leocr. § 18. cf. Boeckh de ephebia ind. aest. 1819.

([18]) Vide Lobeck. Phryn. eclog. p.213.

([19]) Aesch. περὶ πρεσβ. p.50.33.

([20]) Dem. περὶ στεφ. p.314 et 315. Passovius, ut omnino famae Aeschinis in rebus pri-

probrat maledicta ex trivio arripiens ([21]). Rectissime mones, mi Demosthenes; Aeschines nempe ad maiora melioraque agenda natus erat. Ac licet nonnisi tertias egerit, tamen, praeterquam quod inde habebat quae ad vivendum sunt necessaria ([22]), cum postea orator publicas res tractabat, maximae utilitati ei erat quidquid inde sibi paraverat, artem vocis flectendae, sonos tum intendendi tum remittendi, item egregium habitum corporis, moderationem vocis et corporis ad rerum verborumque dignitatem aptissimam: quas ipsas oratorias virtutes Aeschini fuisse, saepissime suam ab illis inopiam testans confitetur nimis invidiosus adversarius ([23]).

§. 4.

Postea igitur demum quam prima stipendia fecit, scribae munus subiisse videtur, quod Demosthenes factum esse commemorat illico post adscriptionem eius inter cives, hos militiae annos praetermittens. Demosthenes saepe opprobrio vertit, tali munere functum esse ([24]). Princeps de hoc locus est *περὶ παραπρεσβ.* p. 419: *ὑπογραμματεύοντες δὲ οὗτοι* (Aeschines et frater) *καὶ ὑπηρετοῦντες ἁπάσαις ταῖς ἀρχαῖς ἀργύριον εἰλήφεσαν, καὶ τὸ τελευταῖον ὑφ᾽ ὑμῶν γραμματεῖς χειροτονηθέντες δύ᾽ ἔτη διετράφησαν ἐν τῇ θόλῳ.* et ibid. p. 442: *καὶ γὰρ αὖ τοῦτο — ὡμολόγει γεγραμματευκέναι καὶ χάριν ὑμῖν ἔχειν τοῦ χειροτονηθῆναι.* Persuasum nobis esse licet, Demosthenem haud nimium honoris Aeschini tribuisse. Addamus scriptores vitae: Pseudo-Plut. (et Phot. cod. 264.): *ὡς δὲ Δημ. φησὶν, ὑπογραμματεύων κ. τ. λ.* Phot. cod. 61: *ἐγραμμάτευε τῇ βουλῇ.* Apollonius habet locum Dem. cit.; anonymum vitae scriptorem solum invenimus testem: *ὄντα δὲ λαμπρόφωνον γραμματεῦσαι Ἀριστοφῶντι καὶ μετὰ τοῦτον Εὐβούλῳ*, qui verosimiliter ex loco

---

vatis detrectat, Demosthenis verbis ductus, hic etiam hunc secutus est, Aeschinem scribarum muneribus ante functum esse quam histrionis partes susceperit.

([21]) Dem. l. c. 229 sqq. 270. 288. *παραπρ.* 400. 418. Harpocr. s. v. *Ἴσχανδρος· τραγικὸς ὑποκριτὴς ὁ Ἴσχανδρός ἐστι. δοκεῖ δ᾽ αὐτῷ συνυποκρινόμενος Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ ἐν Κολλυτῷ καταπεσεῖν, καθά φησι Δημοχάρης ἐν τοῖς Διαλόγοις.*

([22]) v. Boeckh. Oecon. Athen. I. p. 133: Auch gemeine herumziehende Schauspieler ... hatten ihr gutes Auskommen.

([23]) *π. παραπρ.* p. 422; imprimis p. 449 sq. clarissimam vocem p. 405. p. 408. cf. *περὶ στεφ.* p. 313. p. 329.

([24]) *π. παραπρ.* p. 371; 415; 419; 442. *π. στεφ.* p. 314; 315; 297; 268.

Demosthenis male perspecto illud posuit ([25]). Nunquam tamen Demosthenes planis verbis dixit, Aristophontis eum fuisse scribam vel Eubuli, quam rem ut commemoraret multum eius interesse oportebat. Aeschines igitur non privatus scriba fuit. Sed cum bis eundem eidem magistratui scribam esse vetitum esset ([26]), apud diversos magistratus inferioris loci munere scribae per singulos annos fungens fieri potuit ut prius Aristophonti, deinde Eubulo (ad quem *θεωρικοῖς* dispensandis praefectum, maxima ab Atheniensibus in eo collocata fiducia, summa reipublicae administrandae delata erat) ([27]) sive a populo adiunctus sive ab ipso Eubulo adsumptus utilissimum ac peritissimum operarium adeo se praeberet, ut perpetuo eum inde amicitiae vinculo sibi muniret. Deinde etiam *γραμματεὺς τῆς πόλεως* sive *τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου* suffragiis populi creatus per duos annos in prytaneo ([28]) publicis alebatur sumptibus; cuius erat acta litterasve publicas populo senatuique recitare ([29]). In quo munere aptissime uti potuit sonitu vocis dulcis et clarae ([30]), quam a natura acceptam scenicus deinde excoluerat actor. Accedit quod e diversis negotiis scribarum suam fecit magnam in tabulis publicis exercitationem, accuratam legum iudicialium cognitionem et totius in rebus forensibus institutae rationis.

([25]) *περὶ στεφ.* p.281: *ἀλλ' εἰδὼς 'Αριστοφῶντα καὶ πάλιν Εὔβουλον πάντα τὸν χρόνον βουλομένους πρᾶξαι ταύτην τὴν φιλίαν* (cum Thebanis) ... *τούς σὺ ζῶντας μὲν, ὦ κίναδος, κολακεύων παρηκολούθεις.*

([26]) Lysias adv. Nicom. p.864 infra: *ὑπογραμματεῦσαι οὐκ ἔξεστι δὶς τὸν αὐτὸν τῇ ἀρχῇ τῇ αὐτῇ.* vide Boeckh. Oecon. civ. Ath. I. p.203.

([27]) Aesch. adv. Ctesiph. p.57.24. vide Boeckh. Oecon. I. p.197.

([28]) *ἐν τῇ θόλῳ* Dem. l. l. Harpocr. s. v. *θόλος· ὁ τόπος ἔνθα ἐδείπνουν οἱ πρυτάνεις οὕτως ἐκαλεῖτο παρ' 'Αθηναίοις.*

([29]) Dem. *π. παραπρ.* p.363: *ὑπογραμματεύων γὰρ ὑμῖν καὶ ὑπηρετῶν τῇ βουλῇ αὐτὸς* (Aesch.) *ἐξηγεῖτο τὸν νόμον τοῦτον τῷ κήρυκι.* cf. Dem. ll. cc. Quae verba evincunt, Aeschinem functum tertii illius scribae munere ap. Polluc.: *ὁ δὲ ὑπὸ τοῦ δήμου αἱρεθεὶς γραμματεὺς ἀναγινώσκει τῷ δήμῳ καὶ τῇ βουλῇ.* et Bekk. anecd. p.185: *γραμματεὺς ὁ ἀναγινώσκων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ τὰ προστεταγμένα κατὰ χρόνους ἠλλάσσετο.* cf. Dem. in Lept. p.485. An fortasse etiam eo munere functus est, quod sequitur ap. Bekk. l. l. *ὁ δὲ καταγραφόμενος τὰ ἐν τῇ βουλῇ γενόμενα ἀντιγραφεὺς ἐλέγετο,* id quod idem testari possit loc. cit. Dem. *καὶ ὑπηρετῶν τῇ βουλῇ?* Qui *ἀντιγραφεὺς τῆς βουλῆς* ab Harpocr. s. v. *ἀντιγραφεύς* ex Aristotele *ἐν 'Αθηναίων πολιτείᾳ* commemoratur; idemque in inscriptionibus inter *ἀεισίτους* nomine solo *ἀντιγραφεύς* invenitur. vide Boeckh. Oecon. civ. Ath. I. p.201 sq.

([30]) Cicero de orat. 3, 7. orator 18.

§. 5.

Aeschines nullam mentionem facit, fuisse se aut histrionem aut scribam; sed id modo ex iis quae Demosthenes narrat, scriptorum vitae Aeschinis ratione habita, coniicere licuit; de militia sua accuratius tradit ([31]), quam Demosthenes omittit passim bonum militem eum verbis perstringens ([32]). At non habuit quod hac in re ei obtrectaret is qui nunquam proelium virorum vidit. Neque dubium est, quin fortissimum probissimumque militem se praebuerit Aeschines, quippe qui duces suos ipsumque Phocionem iustissimum virtutis suae testes haberet. Aeschines cum primum numero civium adscriptus est, inter peripolos per duos annos tirocinium fecit (Ol. 102. a. 3 et 4, a. 370-369.). Deinde saepius et gravioribus et levioribus proeliis expeditionibusve, prout temporum rationes darent, interfuit; tum illas dico, cum cives aetate secundum eponymos destinata proficisci iuberentur, tum alias, quando singulis ut proficiscerentur eveniret ([33]). Ex minoribus illis expeditionibus primam commemoravit Aeschines eam, quae ab Atheniensibus auxilio Phliasiis facta erat. Phliasii enim, qui, tametsi post Leuctricam pugnam Peloponnesii fere omnes a

---

([31]) Aesch. *περὶ πρεσβ.* p. 50.

([32]) Dem. *π. παραπρ.* p. 375.

([33]) Locus est Aeschinis *περὶ πρεσβ.* p. 50. 34: *καὶ τὰς ἄλλας τὰς ἐκ διαδοχῆς ἐξόδους, τὰς ἐν τοῖς ἐπωνύμοις καὶ τοῖς μέρεσιν ἐξῆλθον.* — De eponymis his vid. Harpocr. s. v. *ἐπώνυμος* et *στρατεία: εἰσὶ γὰρ ἐπώνυμοι δέκα μὲν οἱ τῶν φυλῶν, δύο δὲ καὶ τεσσαράκοντα οἱ τῶν ἡλικιῶν ... χρῶνται δὲ τοῖς ἐπωνύμοις καὶ πρὸς τὰς στρατείας, καὶ ὅταν ἡλικίαν ἐκπέμπωσι, προγράφουσιν ἀπὸ τίνος ἄρχοντος ἐπωνύμου μέχρι τίνος δεῖ στρατεύεσθαι.* — *ἡ ἐν τοῖς μέρεσι* ap. Bekk. anecd. 251. 308 et ap. Suid. v. *τερθρεία* obscure *ἐν μέρεσι τοῖς ἀκινδύνοις τῆς μάχης*, explicatur a Boeckhio in ind. lect. hib. 1819-20 p. 7 sq. „illa, qua non integra unius aut plurium annorum manus, sed delecti maxime ex iunioribus quasi vexillarii emitterentur ad pompas deducendas ac velitationes et in stationes minus periculosas." Itaque *ἐν τοῖς μέρεσι* expeditio, ut mihi videtur, talis est, qualem Schol. Aug. ad Dem. (p. 290. ed. Dobson) scribit his verbis: *Κορίνθιοι λελυπημένοι κατ' Ἀθηναίων καλοῦντες πάντας Ἕλληνας εἰς τὰ Ἴσθμια (κοινὴ γὰρ ἦν ἡ πανήγυρις) τοὺς Ἀθηναίους παρῆκαν. οὗτοι ὡς θεοσεβεῖς ὄντες ἔπεμψαν τὰς θυσίας μετὰ ὁπλιτῶν, ἵν', εἰ δέξωνται αὐτούς, ὑπόσπονδοι ἀναστρέψωσιν· οὐ γὰρ ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐξεληλύθεσαν· ὃ δὴ καὶ γεγένηται. ὁρῶντες γὰρ τὴν παρασκευὴν οἱ Κορίνθιοι ἐδέξαντο. ἄνευ οὖν πόνων συνέβη κατορθῶσαι αὐτοὺς τοῦτο τὸ πρᾶγμα.* — Expeditio, cui tum Aeschines interfuit (*πρώτην δ' ἐξελθὼν στρατείαν τὴν ἐν τοῖς μέρεσι καλουμένην, καὶ συμπαραπέμπων μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν καὶ τῶν Ἀλκιβιάδου ξένων τὴν εἰς Φλιοῦντα παραπομπήν*) gravior facta esse videtur (*κινδύνου συμβάντος ἡμῖν περὶ τὴν Νεμεάδα καλουμένην χαράδραν*).

Lacedaemoniis defecerant, his fidelissimi socii permanebant ([34]). Quod cum aegre ferrent Argivi imprimis et Arcades ac per plures annos Phliasios undique premerent: Athenienses, qui foedere icto amicitiam cum Lacedaemoniis inierant Ol. 102. 4 (a. 369.) ([35]), Phliasiis Ol. 103. 1 equites aliquot auxilio submiserunt ([36]). Deinde Phliasii angustiis crescentibus, fame instante, salute prope desperata ab Atheniensibus impetrarunt, ut Charetem mitterent, qui comitaretur se commeatum petentes. Ille idem non deerat Phliasiis rogantibus, ut locum ab Sicyoniis in confiniis suis munitum recuperantibus praesto esset. Ne multa, Chares Atheniensium mandatis excessit; etenim non solum comitatu suo Phliasios proficiscentes tuebatur, sed etiam in certamina cum illorum hostibus se immiscuit. Postquam duobus proeliis Argivos devicit Ol. 103. 2, Phliasios ab obsidentibus hostibus liberavit. Horum sive alterum proelium sive aliud illo tempore Phliasiorum ab Atheniensibus adiutorum certamen fuit, uni certe Aeschines, tunc igitur vicesimum alterum fere aetatis annum agens, interfuit; cumque circa locum, qui vocabatur Νεμεὰς χαράδρα, deducentibus Aeschinis aequalibus mercenariisque Atheniensium periculum exstitisset, ita excelluit Aeschines virtute, ut laudes ei a ducibus ferrentur ([37]). Quatuor

---

([34]) Xen. Hell. VII. 2. § 2 sq.

([35]) Diod. Sic. XV. 67.

([36]) Xen. l. l. § 10. cf. orat. περὶ συντάξεως p. 175 fin., auxilium Phliasiis missum ab Atheniensibus.

([37]) Diodori locum XV. 75 huc referendum esse, item Aesch. περὶ πρεσβ. p. 50. 34. Schneiderus ad Xen. l. c. et Winiewski comment. ad orat. Dem. de cor. p. 53. volunt; et aliud quoque hoc ad Νεμεάδα χαράδραν proelium huic fere quod assignet tempori argumentum in promtu habeo. Harpocr. s. v. Νεμεὰς χαράδρα· Αἰσχίνης περὶ τῆς πρεσβείας· οὕτω τόπος τις ἐκαλεῖτο ἐν Πελοποννήσῳ. "πλησίον τῆς Νεμέας χαράδρας" Ἔφορος ἐν κγ΄. (in vicesimo tertio libro). Diod. Sic. XVI. 76: Ἔφορος τὴν ἱστορίαν ἐνθάδε (Nicomachi anno Ol. 109. 4; 341 a. Chr.) κατέστροφεν εἰς τὴν Περίνθου πολιορκίαν — ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς τῶν Ἡρακλειδῶν καθόδου. χρόνον δὲ περιέλαβε σχεδὸν ἐτῶν ἑπτακοσίων καὶ πεντήκοντα, καὶ βίβλους γέγραφε τριάκοντα. Vide porro. Diog. Laert. II. 54: ὁ δὲ Γρύλλος τεταγμένος κατὰ τοὺς ἱππέας (ἦν δὲ ἡ μάχη περὶ Μαντίνειαν) ἰσχυρῶς ἀγωνισάμενος ἐτελεύτησεν, ὥς φησιν Ἔφορος ἐν τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκοστῇ κ. τ. λ. Ab anno (362) Ol. 104. 2 igitur usque ad a. Ol. 109 fere tertium (342) viginti annos complexi sunt libri quinque ab 25 ad 30, in quibus gravissimae res narrandae erant, Philippi regis et Dionysiorum Dionisque bella, imprimis de Amphipoli urbe Philippum inter et Athenienses, Atheniensium cum sociis, Phocensium bellum sacrum, Thebanorum et Atheniensium in Euboea insula, Olynthium, pluraque alia facta. Illud igitur ad Νεμ. χαρ. proelium,

fere annis post in pugna ad Mantineam fortem se gessit Ol. 104. 2 (362.) vicesimo sexto aetatis anno transacto. In Euboea deinde expeditionibus interfuit ([38]); quarum cum duas ante Timarcheam orationem factas noverimus, utrique Aeschinem interfuisse statuere licet, alteri Ol. 105. 3 (358) ([39]), quo tempore Philippus Amphipolin bello pressit ([40]), Aeschines tricesimum aetatis annum excesserat; alteri Phocione duce factae Ol. 107. a. primo (351) ([41]). In qua cum exercitus Atheniensium iniquo loco inclusus Plutarchi Eretriae tyranni proditione ad Tamynas in summum periculum datus esset: universis Atheniensium militibus fortissime pugnantibus, Aeschines inter delectos virtute adeo excelluit, ut non solum illico a ducibus, sed postquam nuntium victoriae Athenas attulit, et Temenides tribus Pandionidis centurio, qui cum eo missus erat, praestantiam eius affirmavit, iterum a populo corona honoraretur ([42]). Hoc praeclaro facinore militiam suam finivisse videtur. Erat tunc triginta septem annos natus.

§. 6.

Tempore insequenti demum uxorem duxisse videtur, si quidem attendere licet id quod Aeschines falsae legationis reus an. 343 liberos suos tres dicit *ταυτὶ μὲν τὰ μικρὰ παιδία, καὶ τοὺς κινδύνους οὔπω συνιέντα, ἐλεεινὰ*

---

quod Schneiderus quarto fere ante Mantineensem pugnam anno posuit, rectius fortasse ad Ephori vicesimum quartum librum referre tibi videare. Verumenimvero potuit Ephorus illa, quae acta sunt ante Mantineensem pugnam ab extremo fere vicesimo tertio libro per totum sequentem, fortasse etiam ad initium libri quinti deducere: quartam dico Epaminondae in Peloponnesum invasionem, et ante hanc, quae duobus Arcadum et Eleorum belli annis pauca continebantur. Ratione harum omnium rerum habita ad ipsum illud tempus Ol. 103. 2. pervenire mihi videor.

(38) Aesch. l. c. *καὶ τὰς εἰς Εὔβοιαν στρατείας ἐστρατευσάμην.*

(39) Diod. XVI. 7. Dem. c. Androt. p. 597. Aesch. adv. Ctesiph. p. 65. 42.

(40) Dem. Olynth. I. p. 11.

(41) Sequor Seebeckium, qui in annal. stud. antiq. a. 1838 in commentatione critica de prima orat. Philipp. (cfr. num. 39-42 quo anno natus sit Demosthenes) evicit hunc annum. Boeckh. Oecon. Ath. II. p. 109. n. 369. Weiske l. l. III. 15 et 35. Goeller proleg. (progr. Sept. mens. a. 1822 Colon.) p. 17 anno voluerunt quarto Ol. 106 ad Tamynas pugnatum esse. — cfr. etiam Droysen: Über die Ächtheit der Urkunden in Dem. Rede vom Kranz. p. 160 sq.

(42) Aesch. p. 51 init. decretum de hisce rebus legi iubet, et Phocionem imperatorem et commilitones testes provocat.

δ' εἴ τι συμβήσεται ἡμῖν παθεῖν (p. 52. 15.). Socer ei erat Philodemus Paeaniensis, qui magna valebat auctoritate, utpote qui tribui Paeaniensi praefectus esset ([43]). Fratres uxoris duo, Philon vir rei militaris peritus, et Epicrates, qui corporis forma habituque insignis in pompis Dionysiacis Atheniensium oculos in se convertisse dicebatur. Ex duobus Aeschinis fratribus natu maior ipso Philochares tempore, quo oratio de legatione habita est, a. 343. iam per tres annos deinceps imperatorium munus administrabat, unde magna tum Athenis fruebatur gratia ([44]). Minor Aphobetus cum in altero muneris genere Aeschinem secutus esset, scribae dico, tanta usus est apud cives gratia, ut ἀντιγραφεὺς τῆς διοικήσεως a populo crearetur; qua provincia bene ac probissime functus est ([45]). Idem legationem ad Persarum regem missam digno republica modo administravit. Hi Aeschinis propinqui, quamvis ad unum omnes verborum contumeliis oratione pro rostris habita a Demosthene notati, tamen contemptis maledictis Aeschini aderant petituri, ut praesidium reo ferret populus a calumniis inimicissimi viri.

§. 7.

Aeschines praeterea ad graviores etiam res a populo delegatus est. Prima legatio est ad Arcades cum aliis facta, quae a Diodoro Theophili anno Ol. 108. 1 adscribitur ([46]); qua in legatione magna iam eius fuit auctoritas operaque egregia, Megalopoli orationem habuit; posthac ad Philippum alioque legatus fuit. Sed hic paulisper subsistamus, siquidem alteram commentationis partem publicae huic vitae maxime destinavimus. Restat ut paucis de iis quae scripto reliquerit defungamur.

([43]) Aesch. περὶ πρεσβ. p. 48. 15: δι' ὃν εἰς τοὺς δημότας ἐνεγράφης (Demosthenes). vid. Harpocr. s. v. δήμαρχος: — ἔτι δὲ καὶ τὰ ληξιαρχικὰ γραμματεῖα παρὰ τούτοις ἦν.

([44]) De officiis et auctoritate denorum imperatorum Athen. vide C. F. Hermann Antiq. Gr. publ. § 153. — cf. Dem. Philipp. I. p. 47: οὐκ ἐχειροτονεῖτε δὲ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν δέκα ταξιάρχους καὶ στρατηγοὺς καὶ φυλάρχους καὶ ἱππάρχους δύο; τί οὖν οὗτοι ποιοῦσι; πλὴν ἑνὸς ἀνδρός, ὃν ἂν ἐκπέμψητε ἐπὶ τὸν πόλεμον οἱ λοιποὶ τὰς πομπὰς πέμπουσιν ὑμῖν μετὰ τῶν ἱεροποιῶν· ὥσπερ γὰρ οἱ πλάττοντες τοὺς πηλίνους, εἰς τὴν ἀγορὰν χειροτονεῖτε τοὺς ταξιάρχους καὶ τοὺς φυλάρχους, οὐκ ἐπὶ τὸν πόλεμον. cf. περὶ συνταξ. p. 171 fin.

([45]) Aesch. l. c. καλῶς δὲ καὶ δικαίως τῶν ὑμετέρων προσόδων ἐπιμεληθείς, ὅτε αὐτὸν ἐπὶ τὴν κοινὴν διοίκησιν εἵλεσθε κ. τ. λ. cf. Boeckh. Oecon. Ath. I. p. 181. Harpocr. s. v. ἀντιγραφεύς.

([46]) XVI. 54. — Dem. π. παραπρ. p. 344. p. 438. Aesch. περὶ πρεσβ. p. 38. 25. vide infra.

Tres tantum orationes Aeschinis scriptas habemus, quamvis saepius oraverit; quartam enim orationem de causa Deliaca spuriam fuisse, cum veteres iam testes sunt tum inter recentiores probavit Boeckhius ([47]). Praeter tres illas a veteribus novem epistolae legebantur ([48]), illae Gratiis hae Musis comparabantur. Spurias, quae hodie supersunt, duodecim esse plane demonstravit Taylorus in editione sua et Boeckhius ad Pind. II. vol. II. p. 18 sqq. Virtutes ingenii oratoris, copia et explanatio, vehementia et suavitas, inopinatae et faciles sententiarum conformationes et externa illa commoda, clara dulcisque vox et sonitus, actio plena animi, in Aeschine coniuncta reperiuntur; insuper genus acuminis stomachosum, facilitas et astutia in suum commodum convertendi argumenta, qua tamen facultate Demosthenes tanto magis praelucet, quanto inferior Aeschines illo exstitit orator. Secundum post Demosthenem locum tenere Aeschinem constat ([49]), ac prae omnibus idoneum fuisse, quem Demosthenes vere metueret. Quae quidem virtutes ([50]) quum bona indole potissimum ei contigissent, orationes eius non habent multi laboris speciem, sed tamquam ex animi inflammatione impetuque divino prodiisse videbantur; et hoc est quod Aeschines a veteribus scriptoribus diceretur is, a quo dictiones subitae incepis-

([47]) Locos veterum scr. citatos invenies ap. Boeckh. in explicatione docum. Att. de reb. sacr. Apoll. Deli ins. (Ann. Academ. Berol. a. 1834).

([48]) Phot. cod. 61. cod. 264. Philostr. in vit. Aesch. IV. ed. Kayser: *εὐπαιδευσίας δὲ μεσταὶ καὶ ἤθους.*

([49]) Cic. Brut. 9. Orat. 9. Dionys. de admir. vi dic. in Dem. 35 (p. 1063 R.) — *Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ, ἀνὴρ λαμπροτάτῃ φύσει περὶ λόγους χρησάμενος· ὃς οὐ πολὺ ἂν ἀπέχειν δοκεῖ τῶν ἄλλων ῥητόρων, καὶ μετὰ Δημοσθένην μηδενὸς δεύτερος ἀριθμεῖσθαι.*

([50]) Chr. Fr. Matthaei (libellus Academicus de Aeschine oratore ap. Reisk.) virtutes Aeschinis oratorias singulas perscrutatus exemplisque comitatus in unum colligit et imaginem exprimit eloquentiae eius hanc: „Perspicuus igitur et facilitate concipiendarum imaginum evidens, sententiis et verborum pondere sublimis, gravis, acerbus, vehemens, varietate copiosus, ornatus, tenuitate simplex, orationis festivitate facetus, iucundus, compositione lenis, figuris varius, sententiarum novitate audax, in inveniendo locuples, in delectu et ordine prudens, rerum usu callidus, moribus notandis probabilis, vi et copia argumentorum et affectibus ad commovendos hominum animos instructus et paratus." vide Dionys. de vet. script. censura V. 5 (p. 434. R.): *Ὁ δ' Αἰσχ. ἀτονώτερος μὲν τοῦ Δημ., ἐν δὲ τῇ τῶν λέξεων ἐκλογῇ πομπικὸς ἅμα καὶ δεινός· καὶ οὐ πάνυ μὲν ἔντεχνος, τῇ δὲ παρὰ τῆς φύσεως εὐχερείᾳ κεχορηγημένος· καὶ σφόδρα ἐναργὴς καὶ βαρύς, καὶ αὐξητικὸς καὶ πικρός· καὶ ἡδὺς μὲν αὐτόθεν ἐντυχόντι, σφοδρὸς δὲ ἐξετασθείς.* In eiusdem de orator. antiq. lib. locus princeps de Aeschine non iam exstat. vid. p. 451. 8; p. 629. 5. cfr. Phot. cod. 61. cet.

sent, quae ante eum sophistarum scholis non excessissent ([51]). Quin etiam, ut Gorgiam prioris artis sophisticae, quae in qualibet sententia tractanda, ita Aeschinem alterius, quae in artificio orationis versaretur, principem fuisse putant, cum scholas in Caria ac Rhodi instituisset rhetoricas ([52]).

Ferunt enim Aeschinem, cum in causa Ctesiphontea cecidisset, ut ignominias averteret, patria egressum esse. Quae porro de rebus Aeschinis legimus tam sunt incondita contrariaque inter se, ut hanc rem intricatam explicari posse plane sim diffisus ([53]). Certum id modo videtur, quod verus Plutarchus in vita Demosthenis (c. 24.) tradit: ἐκεῖνος μὲν οὖν εὐθὺς ἐκ τῆς πόλεως ᾤχετ᾽ ἀπιὼν καὶ περὶ Ῥόδον καὶ Ἰωνίαν σοφιστεύων κατεβίωσεν. Fortasse auspiciis eius schola Rhodiaca instituta est, unde fieri poterat, ut traderentur quae legimus: dixisse Aeschinem, se grammaticam, non artem rhetoricam docere posse ([54]); item quae respondisset Rhodiis admirantibus orationem pro Ctesiphonte Demosthenicam quam legisset: „Quanto magis admiremini, si audissetis ipsum!" ([55]) At in proclivi erat scholae magistrum facere eum, quem magistri filium eundemque adolescentem sublevasse patrem, etiam atque etiam legebant. Nunquam vero tamquam sophista Athenis dicendi artem docuit, utpote qui natura magis et vitae rationibus quam studio ac consilio orator publicus exstitisset; quod si fecisset, fierine poterat, ut Demosthenes huius rei mentionem faceret nul-

---

([51]) Philostr. vit. A. III. Τὸν δὲ αὐτοσχέδιον λόγον ξὺν εὐροίᾳ καὶ θείως διατιθέμενος τὸν ἔπαινον τοῦτον πρῶτος ἠνέγκατο. Τὸ γὰρ θείως λέγειν οὔπω μὲν ἐπεχωρίασε σοφιστῶν σπουδαῖς, ἀπ᾽ Αἰσχίνου δὲ ἤρξατο θεοφορήτῳ ὁρμῇ αὐτοσχεδιάζοντος, ὥσπερ οἱ τοὺς χρησμοὺς ἀναπνέοντες. cfr. Phot. cod. 61. Suidas s. v. Αἰσχ. haec parum venuste e Philostr. compilata habet (Bernhardy).

([52]) Philostr. vit. soph. lib. I. p. 481: τῆς δὲ δευτέρας (σοφιστικῆς) Αἰσχίνης ὁ Ἀτρομήτου, τῶν μὲν Ἀθήνησι πολιτικῶν ἐκπεσών, Καρίᾳ δὲ ἐνομιλήσας καὶ Ῥόδῳ. Καὶ μετεχειρίζοντο τὰς ὑποθέσεις κατὰ τὴν τέχνην οἱ μὲν ἀπὸ Αἰσχίνου, οἱ δὲ ἀπὸ Γοργίου κατὰ τὸ δόξαν. Idem nomen sophistarum tribuitur praeter Aeschinem Lysiae, Antiphonti aliisque; locos cit. vide ap. Kayser ad Philostr. l. l. I. p. 484. Phot. cod. 61: λέγεται δὲ οὗτος πρῶτος ἐκεῖσε σχολάζων τὰ πλάσματα καὶ τὰς λεγομένας μελέτας συνθεῖναι.

([53]) Locos omnes iam vide citatos in Clintonis F. H. p. 183. ed. Kr.

([54]) Libanius vit. Aesch. p. 11.

([55]) Cic. de orat. III. 56. Plin. nat. hist. 7, 30. epist. II. 3, 10. Spalding. ad Quinctil. XI. 3, 6. Philostr. vit. Aesch. IV. ed. Kayser. Phot. cod. 61.

lam? ([56]) Verosimillimum igitur videtur hoc. Aeschines causa illa gravissima victus, ut cavillationes dicaces et morosas fugeret tum civium tum ceterorum Graecorum, inter quos iudicii exitum (e tota enim Graecia audiendi causa celeberrimos oratores certantes concursum fuit) mox divulgari oportebat, Athenas et Graeciam ultro reliquit, in Asiam se contulit, ubi otiosam et quietam senectutem degeret. Erat enim tunc (Ol. 112. 3) prope sexagenarius. Dives pedetentim factus erat ([57]), neque angustiis ergo victum ullo modo sibi parare cogebatur; verum proficiscens per Cariam et Ioniam Rhodi saepius ac libenter morabatur, ibique a Rhodiis litterarum studiosis rogatus utriusque orationem Ctesiphonteam suavissima sua et altissima voce recitavit, indeque summam admirationem cum sui tum adversarii excitavit. At artem rhetoricam Rhodiis rogantibus non docuit, ne ipsum quidem se scire respondens; neque in causis tractandis versari illis hortantibus utique voluit ([58]). Itaque per aliquod tempus otiatum Rhodo inde Samum insulam eum se contulisse tradunt, ibique non multo post mortuum esse (Phot. cod. 61. Pseudo-Plut.). Num septuagesimum quintum agens mortuus sit (Ol. 116. 4. a. 313.), quod Apollonius refert, in dubio haeret, cum confundat Apollonius cum alio nescio quo una cum Demosthene interfecto ab Antipatro. Vixisse etiam videtur, cum nuntius

---

([56]) Omnino consentio iis, quae Bernhardy in hist. litter. Graec. p. 378 statuit: „Die Rhetorik der Asiatischen u. Rhodischen Schule steht in gar keinem Zusammenhange mit dem Verfall der Attischen Beredsamkeit; wenn gleich die Namen des Aeschines u. Demetrius Phalereus als Vermittler zwischen Altem u. Neuem scheinbar eingeschoben werden. . . . Noch weniger kann von Aeschines die Rede sein, welchen zwar Sammler wie V. X. Or. p. 840. D. (*σχολὴν καταστησάμενος ἐδίδασκε*) u. der Biograph des Aeschines selber zum Schulmeister machen, die guten Gewährsmänner hingegen nur die Kenntniſs der Beredsamkeit (Quinctil. XII. 10, 11.), unter anderem auch durch Mittheilung seiner Reden nach der Insel verpflanzen lassen, welche später Athenische Lehrmeister besuchten, Diog. L. IV. 49."

([57]) Dem. de cor. p. 271: *πλούσιος ἐκ πτωχοῦ διὰ τουτουσὶ γεγονώς*. cfr. ibid. p. 239: *δῆλον γὰρ ὅτι σὺ μὲν ἀλγεῖς ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσιν, Αἰσχίνη, καὶ τοὺς Θηβαίους ἐλεεῖς, κτήματα ἔχων ἐν τῇ Βοιωτίᾳ καὶ γεωργῶν τὰ ἐκείνων*. cf. Dem. *περὶ παραπρ.* p. 386 init. Schol. ad Timarch. p. 124 in edit. Tim. orat. Franke: *καὶ γὰρ εἶχεν ἀγρὸν ὁ Αἰσχίνης ἐν Πύδνῃ τῆς Μακεδονίας*. At Demosthenes gravius ac saepius Aeschinem obiurgasset, si non iusto modo illas possessiones tenuisset. Libanius in vita p. 10 non audiendus est.

([58]) Anonymus in vita: *ἔνθα δεομένων αὐτοῦ Ῥοδίων τὴν τέχνην διδάξαι τὴν ῥητορικήν, ἀρνήσασθαι εἰπόντα μήδ' αὐτὸν εἰδέναι. δίκας γοῦν κελευόντων εἰπεῖν, οὐδὲ τοῦτο θελῆσαι· συμβαλόντα, ὅτι ἐν τῇ πατρίδι ἡττηθείς, κομιδῇ γ' ἂν ἐπὶ γῆς ἀλλοτρίας διαφθαρῆναι.*

Alexandri mortis Ol. 114. 2 afferebatur, si quidem credere licet quod narrant Philostratus, Photius in cod. 61, Pseudo-Plutarchus, Anonymus, Aeschinem ad Alexandrum, qui Babylona et Susa venturus esset, se conferre voluisse, et nuntio mortis allato prohibitum esse. Apparet hoc non referri posse ad tempus causae Ctesiphonteae proximum, id quod omnes illi scriptores volunt. At nihili hoc faciam.

§. 8.

Aeschines erat hilari animo, vini amans, iucundus et delectationi natus, laetis circulis commodus (59); nobilissimus quisque familiaritatem eius et consuetudinem expetebat: amicissimus erat Eubulo, Nausicli, Phocioni viro honestissimo, acceptissimus Philippo, Alexandro, Antipatro; erga parentes piissimus, de quibus libenter loquitur, a calumniis adversarii eos defendens; cum fratribus et confinibus concordia coniunctus, qui ad unum omnes cum illis ei amicis male gestae legationis reo aderant. Bonam faciem habebat, sed iam mature frequentem canitiem (60). Exstat vultus Aeschinis marmoreus primo ab E. T. Visconti in Mus. Pio-Clement. VI. tab. 36 editus, repetitus in eiusdem Iconogr. Grecque I. p. 258. tab. 29, qui verbis Fr. Passovii describitur his: „Ein schönes marmornes Brustbild, in dem Landhause des Cassius gefunden, jetzt eine Zierde des Vaticans, zeigt ihn als einen athletisch kräftigen, sehr fleischigen Mann, steif durch erkünstelten Anstand, offnen, lebenslustigen und genufsfähigen Angesichts ohne irgend etwas eigenthümlich hervortretendes, aber bequeme und gefällige Übereinstimmung aller Züge; die breite Unterlippe unedel wegwerfend; nur das Profil von Stirn und Nase würdig und fest, die Wölbung der Augenknochen vorzüglich schön, und im Aufblicke tragische Erhebung."

---

(59) Philostr.: ὁ μὲν Αἰσχ. φιλοπότης τε ἐδόκει καὶ ἡδὺς καὶ ἀνειμένος, καὶ πᾶν τὸ ἐπίχαρι ἐκ Διονύσου ἡρηκὼς ... διακεχυμένος τε καὶ ἡδὺς ἐφαίνετο τοῖς συμπρέσβεσιν.

(60) Aesch. adv. Tim. p. 7. 35: καὶ ἔστιν ἡμῖν τουτὶ πέμπτον καὶ τετταρακοστὸν ἔτος· καὶ ἐγὼ μὲν τοσαυτασὶ πολιὰς ἔχω, ὅσας ὑμεῖς ὁρᾶτε, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνος.

PARS II.

AESCHINES PUBLICIS REBUS FUNGENS.

§. 1.

Superiore capite, quod id tantum tempus complexurum se promiserat, quo Aeschines nondum ad rempublicam accessisset, omnia una comprehendimus, quae ad cursum viri vitae pertinerent. Non quod remota fuerint a republica (versabantur enim quam maxime in illa), sed ut conspectum quendam earum rerum uno tenore daremus, quae ad viri imaginem illustrandam facerent. Contra quod nunc aggressuri sumus caput, iis circumscriptum erit cancellis, ut unice spectemus, quasnam rationes in causis reipublicae pacis, ut qui maxime, suasor, ideoque Philippi conciliator, inde Demostheni adversarius inierit. Illic unum fere Aeschinem prae oculis habuimus, nunc iam civitatem Atticam intueamur, quique pervenerit ad illorum duumvirorum auctoritatem et moderationem accuratius investigemus.

Graeciae civitates dum imperare singulae cuperent imperium omnes perdidisse, vetus est apud Iustinum (VIII. 1) sententia. Neque tamen ex mutuo hoc exitio sed ex internis maxime civitatum dissidiis callido ac potenti Macedonum regi copiam factam esse Graeciae manum intendendi, etsi tacerent oratores quique disertissime hodieque loquitur Isocrates, res ipsa doceret. Estque hoc nostra aetate omnibus quod sciam harum rerum scrutatoribus planissime expositum. Sed iuvat aliquantisper Isocrateum speculum inspicere, quaeque facies fuerit Atheniensium turbae inde maxime expromere. Quem quamvis crassiore interdum calamo aequales perstrinxisse dixerim, non tamen e vano finxisse, ut suam aliquam temere arreptam soloque ingenio in immensum auctam Atheniensium felicitatis speciem repraesentaret, iis quae re evenerunt plane comprobatum est. Veterem suam gloriam prensi subito quotidianae curae et externi metus cogitatione plerosque Atheniensium desiderasse, praeter illos, quorum manu ducebantur oratores, inde optimo tuo iure augurere, quod de foro sine fastidio usque repetitos videmus maiorum splendores, eosque non indignan-

tem populum sed gaudentem ([61]), quamvis imitatione assequi iam non valentem ([62]). Aberant enim, quae Athenienses fecerant eos, qui auctoritatem ceterarum Graeciae civitatum maximam sibi parare potuerint, mores boni ac simplices, et quae Athenis quidem semper plurimum valuit opum abundantia ([63]). Maxima enim populi pars ad extremum inopiae venerat: cives mendicando praetereuntes adibant ([64]); at opere faciundo sumptum exsarcire volebant pauci; et ne exstabat quidem, unde rem honeste quaererent; namque cum commercium propter continua certamina in ipsa Graecia iacebat, tum pravitas multitudinis negotia impediebat. Pecuniae e sociorum civitatibus, imprimis post bellum sociale, Athenas fere nihil confluebat, qua ut antea lautorum dominorum partes agi possent ([65]). Quamquam in hecatombas atque epula publice edenda, in aureas vestes aliasque exornationes, ut splendidissime (qua sola re cultus pietasque deorum tum continebatur) pompas et choreas ducerent, temere profundunt ([66]), dum ipsi hieme vilissimo amictu induti algent; et mercenarios alienos multa pecunia in navibus locant, dum ipsi rebus ad vitam necessariis carent ([67a]). Pro aliis civitatibus, pro ipso rege Persarum, vel contra eum pro satrapis stipendia faciunt ([67b]); inopia pressi patria decedunt, terras pervagantur cum mulieribus liberisque ([68]); alii domi ante iudicia sorti obnoxii sunt, ut, si fortuna eveniat, in subselliis tribus obolis ius dicant (*); ideoque rhetoribus gratiam habent, qui delationes facti-

---

([61]) Isocr. de pace c.13. Areopag. c.21. cf. Aesch. *περὶ πρεσβ.* p.37.40 sq: — *ἀποβλέπειν δὲ εἰς τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως ἐκέλευον ἡμᾶς, καὶ τῆς ἐν Σαλαμῖνι πρὸς τὸν Πέρσην ναυμαχίας μεμνῆσθαι, καὶ τῶν τάφων, καὶ τῶν προγόνων, καὶ τῶν τροπαίων.*

([62]) de pace c.16. ([63]) c.23. ([64]) Areopag. c.38. cfr. Meier de bonis damnat. p.173.

([65]) vid. Boeckh. Oecon. civ. Athen. I. p.127 sq.

([66]) Plut. glor. Athen. c.VI. p.348 extr. sq. Vol.VII. R.: *ὡς ἁμαρτάνουσιν Ἀθηναῖοι μεγάλα, τὴν σπουδὴν εἰς τὴν παιδιὰν καταναλίσκοντες, τουτέστι μεγάλων ἀποστόλων δαπάνας καὶ στρατευμάτων ἐφόδια καταχορηγοῦντες εἰς τὸ θέατρον· ἂν γὰρ ἐκλογισθῇ τῶν δραμάτων ἕκαστον ὅσου κατέστη, πλέον ἀνηλωκὼς φανεῖται ὁ δῆμος εἰς Βάκχας καὶ Φοινίσσας καὶ Οἰδίποδας ... ὧν ὑπὲρ τῆς ἡγεμονίας καὶ τῆς ἐλευθερίας πολεμῶν τοὺς βαρβάρους ἀνάλωσεν.* Multos alios de hoc Athen. vitio collectos invenies locos ap. Voemel comm. ad Phil. I. p.201.

([67a]) Isocr. Areop. c.20. de pace 16. cfr. Justin. VI.9.

([67b]) Exempla v. ap. Wachsmuth Antiq. Hell. II. 2. p.334.

([68]) Panegyr. c.44. cf. c.33. ad Phil. c.40 et 50. de pace 16. (*) Areop. c.20.

tando quotidianum victum iis comparant ([69]). Ex huiusmodi discrepantiis tota reipublicae procuratio composita erat. Mores iuvenum provectiorumque sunt dissolutissimi ([70]); ii qui rempublicam capessiverunt, ex aerario publico rem suam petunt ([71]); oratores loquuntur, quae grata sunt populo ([72]); e bello emolumenta quaerunt ([73]); exercitus ducuntur a corruptissimis hominibus, qui in socios ut hostes se gerunt ([74]). Neque ignorant corruptelam rerum publicarum, sed in officinis sedentes mutuis sermonibus malam conditionem queruntur ([75]); verumtamen tantum aberat, ut statum corrigere studerent, ut eos, qui suaderent, quomodo res firmari possent, novarum rerum studiosos, inimicos populi Atheniensium et amicos imperii paucorum haberent ([76]).

§. 2.

Tres potissimum partes Athenis fuisse mihi videntur, quae diversas rationes sequebantur: alii quibus odio erat imperium populi, toti a republica se amovebant, et salutem ponebant solam in eo, ut universa Graecia coniuncta bellum inferret magno regi Persarum eiusque regnum everteret; inde, ut sedes in Asia collocarentur iis, qui propter egestatem circumvagantes in Graecia omnes res turbarent. Isocrates eiusque discipuli, qui erant multi, has partes amplexi sunt, et omnino viri docti et philosophantes: qui commodissime sibi eventurum putabant, ut in tranquillo ac felici Graeciae statu litteris incumbentes multo beatius vivere possent ([77]). Quorum spes postquam repetita est primum quidem ab Atheniensibus ([78]), deinde a Dionysio Syracusarum tyranno ([79]), et etiam

---

([69]) de pace c.41. *πολλὴν χάριν ἔχοντας ταῖς εἰσαγγελίαις καὶ ταῖς γραφαῖς καὶ ταῖς ἄλλαις συκοφαντίαις ταῖς δι᾽ αὐτῶν γιγνομέναις.*

([70]) Huius rei documentum est adv. Timarchum oratio. cf. Isocr. Areop. c.18.

([71]) Isocr. Panathen. c.56. de pace c.4. c.39 sqq. ([72]) Isocr. de pace c.4. c.10. c.41.

([73]) Aesch. *περὶ πρεσβ.* p.38.20.

([74]) Panathen. c.56. de pace c.17. cfr. Plut. vit. Phocionis c.11 de Charete.

([75]) Areop. c.5. de pace 40.

([76]) Areop. c.23. de pace 17. cfr. c.43. Isocrates totam hanc orat. edidit metu plenus, ne ipse accusator reip. videretur. cf. imprimis c.5. c.20 et 24.

([77]) de pace extr. *ὡς ἐν ταῖς τῆς Ἑλλάδος εὐπραγίαις συμβαίνει καὶ τὰ τῶν φιλοσόφων πράγματα πολλῷ βελτίω γίγνεσθαι.*

([78]) Panegyrica orat. cfr. ad Phil. c.54. ([79]) epist. I ad Dionys.

ab Archidamo Lacedaemoniorum rege ([80]), postremo Philippum regem certum sponsorem nacta sibi videbatur ([81]); neque aliena his erat unius imperii cogitatio ([82]). Alii qui iidem plebeiam potestatem aspernabantur, ipsi rempublicam administrandam suscipere studebant, id quod eo assecuti sunt, ut largitionibus et attributionibus ex aerario desidem facerent populum et imbellem. Erant enim hi maxima pars divitum, qui, cum fieri oporteret, ut plurimum detrimenti e bellis acciperent, pacem quocunque modo possent conservare studebant. Uti igitur pacata quietaque Graecia maneret, utrisque studendum esse videbatur; uti rex Persarum a Graecis bello premeretur, horum minus intererat quam illorum, nisi forte leviore opera civitatis frena recturos se sperabant, haud exigua multitudinis parte stipendii causa procul a patria intra opulentos Asiae fines degente ([83]). At haud arbitrer, tam longe hos praevidisse; nullum enim huius rei indicium invenio neque apud scriptores rerum neque apud ipsum Aeschinem. Apparet tamen, has partes non adversarias sibi esse aut instituta turbare. Reliqua est populi multitudo. Quae iuribus suis et iudicialibus et legalibus elata, omnium rerum egens et sui commodi cupida, cum duce opus esset, qui emolumentis suis consulere videretur, mox Demosthenem oratorem tamquam tribunum plebis secuta est. Hic enim tam bene sensum Atheniensium, utpote qui ipse esset totus Atheniensis, perspiciebat, ut arte sua dicendi vehementissima populi suffragia in suam reipublicae gerendae rationem transferret. Haud rarius in orationibus ante populum gloriatur, se esse tutorem pauperum, magnam se divitiarum partem in populi salutem impendisse, in choros ducendos, in cives e captivitate redimendos, in muros exstruendos aliasque res ([84]). Saepe Athe-

---

([80]) ep. IX ad Archid. ([81]) or. ad Phil. c.16. cf. ep. III ad Phil. (II).

([82]) Isocr. Nicocles c.5. Tradunt Ps-Plutarchus et Pausan. I. 18,7, Isocratem clade ad Chaeroneam accepta ultro vitam fame finivisse, ne reipublicae libertate privatae superstes esset. Quod etsi verum est, tamen persuasum habeo, senem, si exspectavisset quae Philippus rex pro clementia sua de Athen. republica constituit, non nimis anxium perrecturum fuisse vivere, si aliter Dii propitii ei, qui prope centenarius erat, maius etiam tempus vivendi concedere vellent. At metus Atheniensium post Chaeron. pugnam ingens erat, praesertim cum Philippus ira incensus Thebanorum perfidiae magnam vindictam sumere moliretur.

([83]) Isocr. ad Phil. or. c.50 et c.55.

([84]) in Mid. p.547. p.565. π. παραπρ. p.353 med., p.393 init. praecipue p.394 sqq. 410. 412. 413. al.

nienses laudat, saepius vituperat gravissimeque obiurgat. Dux erat populi perinde ac Cleon, et tempore mutato similem illi rationem persequitur ([85]). Ut assidue se paratos haberent Athenienses semper monet ([86]); in veternum eorum acerbe invehitur; rationes proponit, quibus optime res gerere possent; oratores accusat, qui assentatiuncula aucuparentur populi gratiam, eumque arcerent, ne maiores suos, victores Marathonios, imitaretur ([87]); proditores hos esse patriae, imperium paucorum appetentes ([88]), largitionibus Philippi moveri hos omnes, quoniam unus alterve, qui idem sequeretur illis, donis plane esset corruptus ([89]). Adeo flagrat iis, quae semel ad veterem Atheniensium rempublicam instaurandam cepit, consiliis et rationibus, ut, quaecunque ad rem suam vertere possit, adhibeat, artificia insi-

---

([85]) Ipse Dem. in orat. de pace p.57 dicit: — *συμβαίνει παρὰ πάντα τὸν χρόνον, ὃν οἶδ᾽ ἐγώ, τὸν μὲν οἷς ἂν ἁμάρτητε ἐπιτιμῶντα εὐδοκιμεῖν καὶ δοκεῖν εὖ λέγειν.* — Haud absonum videtur hoc loco longiorem aliquam Christiani Garvii, viri ne hodie quidem superciliose spernendi, orationem apponere: „Bei den Atheniensern finden wir, dafs ihre beliebtesten Redner, Kleon wie Demosthenes, sich in ihren Urtheilen über die Handlungen und den Character der Athen. grofse Freiheiten erlauben, und nur gewisse Tugenden gleichsam auswählen, die sie nicht aufhören an ihnen zu preisen; wozu besonders solche gehören, welche den Begriff von Würde und Erhabenheit mit sich führen. Mangel der Einsichten, unbesonnene Maafsregeln, Wankelmüthigkeit, Vernachlässigung ihrer Angelegenheiten, tadeln sie mit einer Bitterkeit, dafs es scheint, sie wissen, ihr Ansehen gewinne eher durch eine solche Strenge, als dafs es dadurch auf's Spiel gesetzt werde. Dagegen aber sind natürlicher Verstand und Fassungskraft, Tapferkeit und Klugheit in kriegerischen Unternehmungen, Grofsmuth und Wohlthätigkeit gegen Unterdrückte, und (welches ein gutes Zeugnifs, wenn nicht für den Character der Athen., doch für ihre Beurtheilung des Werths der Tugenden giebt) auch Redlichkeit und Gutmüthigkeit, die Vorzüge, welche sie, um ihrem Volke zu gefallen, ihm als ein von seinen Voreltern ererbtes Eigenthum zuschreiben;" et paullo inferius: „Selbst Demosthenes, dessen politische Reden fast nichts als Vorwürfe enthalten, welche er den Athen. über ihre Unthätigkeit und die thörichte Verwaltung ihrer wichtigsten Angelegenheiten macht, vergifst dessen ungeachtet nicht, jene ehrenvollen Züge des National-Characters unter seinen Tadel zu mischen. Wie er denn auch das Gute und die Tugenden dem Volke, das Böse, die Thorheiten und die Laster den einzelnen Personen, besonders seinen Gegnern, zuschreibt." (Vermischte Aufsätze, Breslau 1796. — Übersetzung und Erläuterung der Rede Kleons Thucyd. 3.37; p.467 u. p.500.).

([86]) I Philipp. p.88. II Olynth. p.57. III Olynth. p.73. ([87]) *π. παραπρ.* p.345.

([88]) pro libert. Rhod. p.200: *χρὴ τοίνυν καὶ τοὺς τὴν ὑπὸ τῶν προγόνων τάξιν ἐν τῇ πολιτείᾳ παραδεδομένην λείποντας καὶ πολιτευομένους ὀλιγαρχικῶς ἀτίμους τοῦ συμβουλεύειν ὑμῖν ποιεῖσθαι.*

([89]) *π. παραπρ.* p.377.

diosa, impie dicta in deos, ficta somnia ([90]), Persicam pecuniam. Etiam pravis hominibus utitur, dummodo sua consilia adiuvent: tuetur Timarchum scelestum nebulonem; Chares, homo pravissimus, protinus dux creatur, ubi Demosthenis studio aliquando tandem expeditionis consilium probatum est populo ([91]); socii portas huic claudunt experti iam nimis libidinosissimam licentiam et ipsius et eorum, quos nunquam non secum ducebat; attamen creatur, quamvis male rem gerat; optimum ducem negligunt. Nimirum Chares pecuniam ad bellum gerendum necessariam ipse sibi comparabat, hostes pariter atque amicos diripiens et cum exercitu Persicis satrapis militans; idque facit suo arbitrio, patriae ipsius salutem negligens, ita ut, cum quondam Philippo rege urgente Athenienses in magno periculo haererent, Cephisophontis decreto navi emitterentur, qui summum Atheniensium imperatorem quaererent, eique cum repperissent dicerent: mirari civitatem Atheniensium, in summo discrimine se nescire, ubi esset suus imperator ([92]). Atque ex raptu civibus cunctis in foro epulum dedit ([93]). Ast horum vita dissolutissima, nullus ad rem gerendam animus promtus, in tanta miserie superbus. Demosthenes cum in tali civitatis statu erigi posse speraret, tempus suum parum perspectum habebat ([94]). Ipse cum suo studio, totis suis opibus, summa sua dicendi arte, tamen solus frustra instantibus rebus obstitit. Athenienses audiunt maximum oratorem et admirantur; at nihil faciunt quod suadet. Fides ceterarum civitatum, quas contra Macedones conciliare studet, de foro Atheniensium sublata est. Ipse alicubi dicit: Εἰ δ' οἷος ἦν ἐγὼ παρ' ὑμῖν κατὰ

([90]) Aesch. adv. Ctes. p.64.35. τῶν .. θεῶν συμπλάσας ἑαυτῷ ἐνύπνιον κατεψεύσατο.

([91]) Plut. de fraterno amore p.486.C.: Οἱ μὲν οὖν καθ' ἑτέρας ὁδοὺς βαδίζοντες οὐδὲν ἀλλήλους ὠφελοῦσιν, οἱ δὲ βίοις χρώμενοι διαφόροις τόν τε φθόνον ἐκτρέπονται, καὶ συνεργοῦσιν ἀλλήλοις μᾶλλον, ὡς Δημοσθένης καὶ Χάρης καὶ πάλιν Αἰσχίνης καὶ Εὔβουλος, καὶ Ὑπερίδης καὶ Λεωσθένης, οἱ μὲν λέγοντες ἐν τῷ δήμῳ καὶ γράφοντες, οἱ δὲ στρατηγοῦντες καὶ πράττοντες.

([92]) Aesch. περὶ πρεσβ. p.37.30.

([93]) Athen. XII. p.532 princeps de Charete locus. cf. Diod. XV. 95; XVI. 85. Plut. num senex cet. IX. 151. cf. Boeckh. Oecon. Ath. I. p.315 sq. et omnino locc. citt. ap. Voemelium in proleg. in Phil. I et Olynth. p.60.

([94]) vid. Boeckh. l. l. I. p.128: ... „Athen war, selbst wenn der äußere Wohlstand herstellbar gewesen wäre, doch ohne Rettung verloren, weil die Seelen der Bürger nicht so leicht wieder zum innern Wohlbestehen konnten zurückgeführt werden."

τὴν ἐμαυτοῦ τάξιν εἷς ἐν ἑκάστῃ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων ἀνὴρ ἐγένετο, μᾶλλον εἰ ἕνα μόνον ἄνδρα Θετταλία καὶ ἕνα ἄνδρα Ἀρκαδία ταὐτὰ φρονοῦντα ἔσχεν ἐμοί, οὐδεὶς ἂν οὔτε τῶν ἔξω Πυλῶν Ἑλλήνων οὔτε τῶν εἴσω τοῖς παροῦσι κακοῖς ἐκέχρητ' ἄν, ἀλλὰ πάντες ἂν ὄντες ἐλεύθεροι καὶ αὐτόνομοι μετὰ πάσης ἀδείας ἀσφαλῶς ἐν εὐδαιμονίᾳ τὰς ἑαυτῶν ᾤκουν πατρίδας, τῶν τοσούτων καὶ τοιούτων ἀγαθῶν ὑμῖν καὶ τοῖς ἄλλοις Ἀθηναίοις ἔχοντες χάριν δι' ἐμέ. (περὶ στεφ. p. 327).

§. 3.

Commemoravimus supra eorum partes, qui ex opulentissimis compositi paucorum imperio pacique conservandae unice studuerint. Horum quaenam capita principesque fuerint, iam accuratius persequamur. Atque inter primarios huius generis summis opibus magnaque auctoritate excellebat Midias Anagyrasius, filius Cephisodori. Homo erat audax et violentus: temeraria facinora perpetrat nec manibus temperat. Eorum vero, quos continuo fere importunitate et lasciviis vexabat, alii quidem audaciam tolerare, amicos hominis opesque veriti; alii, qui vindictae studebant, nihil efficere; alii pecunia accepta litigationes componere ([95]). Ille aedes Eleusine splendidissimas exaedificavit, quas Demosthenes omnibus illius loci domibus tenebras obducere dicit ([96]); et uxorem ad initia vehit, ac si quo alio libuit, albis bigis Sicyoniis; ipse cum tribus quatuorve pedissequis per forum superbe incedit. Ea munera administrat a populo creatus, in quibus summa erat dignitas, Parali quaestoris, magistri equitum, mysteriorum curatoris, alia ([97]). Saepe de suo sumptus in rempublicam facit, chorum exornat, triremem donat ([98]), verum saepius haec ipsa Atheniensibus obiicit, sicubi ipsi adversantur, ac si adversa fortuna quid gesserunt: Me putatis, inquit, tributa vobis collaturum, quibus fruamini? Me putatis triremes instructurum, vos uti ne naves conscendatis, sed potius otiose domi sedeatis? Itaque interdum subterfugit de suo in rempublicam impensa

---

([95]) Demosth. in Midiam init. orationis; cf. p. 542 fin., p. 546. 559 init. p. 560. 574. 577. 578.

([96]) ibid. p. 565 fin.

([97]) Quae quidem omnia vitio ei vertit Demosthenes, ibid. p. 570 sq.

([98]) ibid. p. 565 sq. ad expeditionem Euboicam Ol. 107. 1; in aliam etiam triremem impensa fecit, quod scimus, posteriore tempore, de qua vide Boeckhii de re navali Athen. tab. XIV. d. 49. 125. cfr. tab. XVI. a. 110. 144. 185.

facere; perinde ac locuples Isocrates, qui bis valetudine praetextata tertio denique triremem exornavit magnis cum impensis, quique ipse dicit, iuvisse cum in pueris esset locupletes esse, ideoque plus olim pecuniae in censum professos; nunc vero cavere quemque hoc facere. (99) Idem fere sentiebant multi alii cives divites, inter se arcte coniuncti semperque parati, uti se mutuo auxilio defenderent, si quid periculi a multitudine immineret. Magna enim erat rei privatae inaequalitas: maior civium numerus indigebat, minor abundabat opibus; ergo illi praepollebant in iudiciis, hi splendore ac divitiis in potentiam assumptis contra valere studebant; illis horum opibus, quas in rempublicam impenderent, opus erat, hi non nimis faciles, nisi suae voluntati concederetur; illi suo iure elati, hi etiam magis divitiis suis. Unde patet, mutuam utrorumque non exoriri non potuisse invidiam; nec mirum sane, superbis illis optimatibus arrogantiam levis multitudinis summo contemptui fuisse, plebi contra quae divitum opibus invidebat, praesertim cum ad vilissima quaeque profundentes videret, superbiam eorum magnum odium procreare debuisse. Erat qui intercederet his simultatibus et utrosque conciliaret Eubulus Anaphlystius (100), vir ditissimus ac nobilissimus, idemque per longum tempus, per totam dixerim vitam, populo acceptissimus. Stabat quidem semper a divitibus; tamen maxime popularem se gessit eo, quod ex aerario publico, cui praeerat populi gratia, multitudini distribuit. Theopompus alias ad maledicendum semper promtus, hunc insignit tamquam ducem populi clarissimum, diligentem ac laboriosum; tamen ex largitionibus civitatem Atheniensium eo duce maxime effeminatam desidemque factam esse voluit. (101) Philinus in libro *πρὸς Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου εἰκόνας* dicit, Eubulum Dionysiis instantibus in sacra facienda distribuisse, ut omnes dies festos celebrarent, et ut ne quis angustiis rei privatae theatro prohiberetur. (102) Ac verum quidem, hac re deminutionem et defectionem aerario militari evenisse; verum quoque, inde

---

(99) Isocr. argum. ad orat. de commut., cfr. orat. ipsam c. 159. de pace c. 40.

(100) Droysen l. l. p. 105 sq. verosimile facit, patrem huius Eubuli fuisse Spintharum eum, de quo Aristophanes (avib. v. 762) dicit: *εἰ δὲ τυγχάνει τις ὢν Φρὺξ μηδὲν ἧττον Σπινθάρου.* Addit Droysen: „denn natürlich nur vornehme Leute lohnt es so als Eindringlinge und geborne Sclaven zu verdächtigen."

(101) Harpocr. s. v. *Εὔβουλος.* (102) Harpocr. s. v. *θεωρικά.* cfr. Phot. lex. s. v. *θεωρικά.*

desidiam Atheniensium auctam esse. ([103]) Quid enim? Consentaneumne videtur, pauperes cives inque republica administranda pari cum divitibus iure affectare maluisse opes, quas ultro sibi afferri viderent: eo paratioribus ad largiendum locupletibus quo placatiores reliquos civium futuros sperarent? Neque vero Eubulus auctor fuit huius rationis, qua multitudo ab intestinis turbis arceretur et ad consilia eorum, qui rempublicam administrarent, facilis ac prona fieret. Ipse enim Pericles, qui primus ex aerario theoricum solvit, necessitati cedere sibi visus est ([104]); et Agyrrhius is qui animo minus liberali illud auxit ([105]), hac ratione usus erat. Quam Eubulus, cum aliam populum coercendi viam non haberet, secutus est. Imprimis ille ea munera subiit, quae ad reditus publicos spectabant, quaeque multa civibus maximam fidem habentibus ei erant simul administranda ([106]); atque haud contemnenda erat eius in his cura et diligentia ([107]). Quum igitur Athenienses quales essent non ignoraret Eubulus, pacem obtinere omnibus viribus studuit, cum praesertim Graeciae civitates coniungi posse mox desperaret. Ut pax teneretur etiam Xenophon in libro *περὶ πόρων* suasit, qui liber pro ipso Eubulo scriptus esse putatur, postquam hoc auctore decretum exilii sublatum est ([108]). Neque aliud ac pacis studium secutus est is, qui proeliis victoriisque tum omnium excellentissimus erat imperator Phocion, idem consultissimi, iustissimi, honestissimi viri in-

---

([103]) Theopompi ap. Athen. IV. p.166. E. locum, ex quo Eubulus a Theop. *ἄσωτος* vocatus esse putetur, Boeckhius (Oecon. Ath. I. p.242) in populum Athen. dictum esse probavit.

([104]) cfr. Boeckh. l. l. I. p.233. ([105]) ibid. p.242.247.

([106]) Aesch. adv. Ctes. p.57.24: — *διὰ δὲ τὴν πρὸς Εὔβουλον γενομένην πίστιν ὑμῖν οἱ ἐπὶ τὸ Θεωρικὸν κεχειροτονημένοι ἦρχον μέν, πρὶν ἢ τὸν Ἡγήμονος νόμον γενέσθαι, τὴν τοῦ ἀντιγραφέως ἀρχήν, ἦρχον δὲ τὴν τῶν ἀποδεκτῶν καὶ νεωρῶν, καὶ σκευοθήκην ᾠκοδόμουν, ἦσαν δὲ καὶ ὁδοποιοί, καὶ σχεδὸν τὴν ὅλην διοίκησιν εἶχον τῆς πόλεως.*

([107]) Plut. praec. reip. ger. 15 (p.395 ed. Basil.): *Ἐπαινοῦσι δὲ καὶ τὸν Ἀναφλύστιον Εὔβουλον, ὅτι πίστιν ἔχων ἐν τοῖς μάλιστα καὶ δύναμιν οὐδὲν τῶν Ἑλληνικῶν ἔπραξεν, οὐδ᾽ ἐπὶ στρατηγίαν ἦλθεν, ἀλλ᾽ ἐπὶ τὰ χρήματα τάξας ἑαυτὸν ηὔξησε τὰς κοινὰς προσόδους καὶ μεγάλα τὴν πόλιν ὠφέλησεν.* Multas naves aedificandas curavit. Dinarch. adv. Dem. p.102. § 99; magnamque materiae navalis copiam congessit, ita ut etiam Ol. 112,3 et posthac exstaret aliquid e lignis, quae Eubulus emerat. Boeckh. de re nav. p. 61.

([108]) Diog. L. II. Xenoph. fin.: *Ἴστρος φησίν, αὐτὸν φυγεῖν κατὰ ψήφισμα Εὐβούλου καὶ κατελθεῖν κ. ψηφ. τοῦ αὐτοῦ.* — Vide Schneider in edit. Xenoph. *περὶ πόρων* p.151. Boeckh. Oec. Ath. II. p.144 sqq. Ol. 106.1 scriptum hunc libellum vult.

star ([109]). Qui humanis et iucundis moribus, vultu severo ac torvo atque immiti breviloquentia, labori ac duritiae studens, pauper, gravissimus Spartanus in mediis Atheniensibus levissimis admirationem nostram capit. Atqui clarissimus idem dux, ad bellicas res obduratus perinde ac miles gregarius semper pacem suadet, et rebus privatis angustus ac simplex cum illis divitibus et superbis civibus eadem persequitur? Sane, nec mirum. Etenim cum et in castris et in urbe Athenienses cognovisset, quales se gererent, sibi persuasum habebat, hos Athenienses ad pristinam gloriam ac virtutem reduci nullo modo posse. Itaque studio multitudinis adversatur, eiusque facta et dicta respuit, eamque vehementer offendit ([110]). Nec leve nobis momentum sit, Phocionem a partibus stare pacis studiosorum ([111]); an ipsum hunc patriae proditorem habere velimus, quod amicos eius tales esse arguit Demosthenes?

Hisce tribusviris pariter cum Demosthene simultates factas esse, et res docuerunt, nec mirum. Midias iam inter causam a Demosthene tutoribus institutam gravem ac molestum in hunc se gesserat; magis etiam utriusque odium auctum est Ol. 107. 1 cum Midias in conspectu omnium Atheniensium verberasset Demosthenem; quam ob rem hic Midiam in ius vocavit, mox tamen pecunia accepta litem composuit opes et potentiam viri perhorrescens ([112]). Eubulus, princeps factionis, tum Midiae patrocinabatur, aliisque rebus Demostheni obstitit ([113]). Phocion a Demosthene toto ingenio discedebat. Cui cum aliquando Demosthenes dixisset: „Te Athenienses tandem interficient, Phocion" „Sane, inquit, si insaniant; te vero, si unquam resipiscant." ([114])

([109]) Dionys. ars rhetor. III. 4: *καὶ εἰ εὔβουλος ἢ δίκαιος ἢ σώφρων εἴη τὰ ἁρμόζοντα πρόσωπα, τὸν Νέστορα, τ. Θεμιστοκλέα, τ. Ἀριστείδην, τὸν Φωκίωνα.* vide Plut. in vita Phoc. c. 8 sqq. Aelian. var. hist. 3.17; 4.16; 12.43.

([110]) lege narratiunculas ap. Plut. apophthegm. reg. et imperat. et in vita Phoc. c. 9. c. 23. c. 24. Polyaen. lib. 3. Phocion. Raumer proleg. ad versionem orat. de cor. (1811) p. XXVII sq. paullo gravius eum vituperasse videtur. Vogelii vitam Phocionis (Norimb. 1788. 8) doleo me non legisse.

([111]) Westermann hist. eloqu. Gr. § 53 quod eum principem factionis, quam Demosth. duxerit, collocavit, causam video nullam.

([112]) Plut. vit. Dem. c. 12. Aesch. in Ctes. p. 61. 7; p. 84. 22.

([113]) Dem. Mid. p. 580-582.

([114]) Plut. vit. Phoc. c. 9. cf. apophthegm. idem.

§. 4.

Aeschines a pueris cum duriore fortuna conflictatus magno labore variisque negotiis agendis ex egestate atque ignobili loco emersit. Ipsius virilis aetatis aliquam partem inter labores consumpsit; erat enim prope quadraginta annos natus, cum ultima fecit stipendia in proelio ad Tamynas commisso, in quo virtute sua excelluit. Deinde locuples factus virque spectatus, coniugio cum familia honesta ac divite coniunctus, vita domestica fruitur, nobilissimorum virorum consuetudine utitur. Itaque tamquam homo novus habendus est Aeschines inter nobiles. Ac vere amplissimum civem inde se gessit ac gravissimum, in foro superbe, ut dicit Demosthenes, decedentem factaque multitudinis tamquam insanientis illudentem. (115) Nunc cum plane belle se haberet, turbas rerum magis detestatur, rempublicam pacatam esse cupit; ideoque lubenter ad Eubulum se applicat, cui beneficiis olim acceptis erat fortasse obstrictus. Facultatem suam dicendi, quam hucusque non exercitavit, in posterum Eubuli consiliis perficiendis, quae cum suis eadem sunt, accommodat: agit Eubulum, qui tum senescebat, ubi in rebus forensibus eloquentia opus est. Nam Aeschinem principem unquam ullius factionis esse et potuisse et voluisse, prorsus negandum existimo, quoniam, cum Aeschines res publicas administrat, plerumque Eubulum, reipublicae regendae peritissimum, auctorem vel patronum videmus; quam meam sententiam et ipse Aeschines et Demosthenes testantur. (116) Accedit quod post Eubuli mortem studium factionis, quae Philippo favit, paullo remittit usque ad tempus pugnam Chaeroneensem insequens, intra quos annos pars illius factionis conditioni reipublicae se accommodavit, ut fortasse Nausicles Aeschinis familiaris, cui statim post pugnam in aliquod tempus moderationem rerum publicarum permissam

---

(115) Dem. *π. παραπρ.* p. 442: cf. p. 411. cf. Christodori *ἐκφράσεις* (in Anthol. Gr. ed. Tauchn. p. 26).

(116) Aesch. *περὶ πρεσβ.* p. 29.13: *τῆς δὲ κατηγορίας* (Demosthenis) *τὴν πλείστην πεποίηται Φιλοκράτους καὶ Φρύνωνος καὶ τῶν ἄλλων συμπρέσβεων, καὶ Φιλίππου, καὶ τῆς εἰρήνης, καὶ τῶν Εὐβούλου πολιτευμάτων.* cfr. finem h. orat. *παρακαλῶ δὲ Εὔβουλον μὲν ἐκ τῶν πολιτικῶν καὶ σωφρόνων ἀνδρῶν συνήγορον.* cf. Dem. *π. παραπρ.* p. 434 sq. de cor. p. 281. cfr. Plut. de frat. am. l. supra cit. *οἱ δὲ βίοις χρώμενοι διαφόροις τόν τε φθόνον ἐκτρέπονται καὶ συνεργοῦσιν ἀλλήλοις, ὡς Δημ. καὶ Χάρης, καὶ πάλιν Αἰσχίνης καὶ Εὔβουλος, — οἱ μὲν λέγοντες ἐν τῷ δήμῳ καὶ γράφοντες, οἱ δὲ στρατηγοῦντες καὶ πράττοντες.*

esse legimus; dum Aeschines, id quod omnino, nisi a populo ad legationes publicas crearetur vel ab adversariis invaderetur, agebat ([117]), privatum se tenet, ita ut Demosthenes merito arguere videatur, tacere Aeschinem in adversa civitatis fortuna (de cor. p. 328.).

Demosthenes, si quidem scriptoribus vitae fidem habemus, a pueris omnibus viribus id expetiit, ut in foro et rostris gloriam et insigne nomen consequeretur; certe adolescens lite adversus tutores perfidos acta, deinde orationibus pro aliis scribendis optime sibi praeparabat viam temporibus illis, quibus sola ex eloquentia Athenis celebritas et auctoritas publica quaerebatur. Proposuerat igitur sibi finem quem spectabat et ad quem rectis studiis contendebat. Quem quantum consecutus sit prae omnibus, satis constat. Quasi centrum quoddam erat, in quod ceteri, qui a partibus stabant, vergebant. Uterque, et Aeschines et Demosthenes, miseriem reipublicae Atheniensium perspexit: alter tamen perinde ac Phocion mox omnem spem abiicit, civitatem ascendere posse ad dignitatem, alter spe erectus meliorem statum rerum efficere studet; Aeschines desperat, bello res corrigi posse, Demosthenes in bello unicam ponit spem; quam ob rem in omnibus concionibus bellum profert, bellum contra Philippum regem, ille pacem suadet. Itaque Demosthenes, cum in desidiam civium invehitur, ut ad expeditiones faciendas cohortetur, alterum et eos qui idem cum eo sentiebant adoritur et offendit, Aeschines tuetur et defendit se atque illos. Aeschines prioribus bellis temere illatis pertinaciterque gestis civitatem in malam hanc conditionem pervenisse censet, ideo a maioribus prudentiam discendam esse, qui nonnisi inter pacem floruissent fortuna opibusque; Demosthenes proelia maiorum ad Marathonem, Salamina cetera commemorat cohortans Athenienses, ut imitarentur exempla praeclarissima patrum victorum, florentemque et honestum patriae statum restituerent. Itaque Demosthenes spiritu divino incensus lapsam civitatem erigere omnibus viribus consiliisque studet, eamque ob causam omnia exquirit, quibus adversarios in suspicionem Atheniensium adducere posset; Aeschines nomine eorum qui paci favebant, cum talis ardor deesset, illa ipsa coercet. Quae causa esse mihi videtur, cur contendam, Demosthenem inflatum plura mentitum esse quam Aeschinem; id quod imprimis intelligimus ex oratio-

---

([117]) Aesch. in Ctes. p. 85. 16 sqq.

nibus de legatione, quarum Aeschinea diligenter et accurate scripta multas res, quas Demosthenes in suum commodum explanavit, non ex veritate ab eo dictas esse documentis fultus dilucide demonstravit.

Haec in universum ita disputata sunt, ut statim a principio, quamnam ipse utrique fidem habendam censeam, haud veritus temeritatis notam planissime commonstrem. Quod reliquum est, ut hanc generalem differentiam factis et rationibus utriusque muniam, reservatum id est singularum rerum expositioni, quae deinceps dabitur.

§. 5.

Civiles vero illae partium discordiae cum olim increvissent, tum demum plane apertae sibique expositae apparebant, cum de Amphipoli urbe pace Philocratea agebatur. ([118]) Res enim eo pervenerant, ut utrinque Athenienses belli poeniteret, quod languore ab ipsis, felicitate maxima a Philippo gerebatur. Namque Philippus, cum imperium (Ol. 105. 1; a. 360) susciperet, e vestigio hostes suos habebat Athenienses, qui ut Amphipolin recuperarent Argaeum regni Macedonum appetentem adiuvabant Mantia duce, qui ter mille hastatis magnaeque classi praeerat. ([119]) Primum Philippi facinus erat victoria ab Atheniensibus reportata ad Methonem urbem. Per legatos ab Atheniensibus pacem impetravit, qua Amphipoli concederet ut sui iuris urbs esset. ([120]) Tamen haud multo post, cum multas belli inferendi causas ei dedissent Amphipolitae, urbem adortus vi cepit. Mox etiam Pydnam occupavit, cum Olynthiis foedus inivit, qui tum magna erant potentia multisque opibus, quosque sibi conciliare amicos vehementer studebant Athenienses. At quid Philippus? Potidaeam urbem Atheniensibus ereptam dono dedit Olynthiis, et Atheniensium praesidium comissime sibi tractatum domum remittit. ([121]) Interea Athenienses, postquam ortis in Euboea certaminibus levia proelia cum Thebanis commi-

([118]) De Demosthene et Aeschine Philostratus l. l. Ἐπέτεινε δὲ αὐτοῖς τὴν διαφορὰν ὁ ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως ἐπὶ τοῦ Φιλ. λόγος, ὅτε δὴ ἐξέπεσε μὲν τοῦ λόγου ὁ Δημοσθένης: in seqq. confundit Philostr. tempora.

([119]) Diod. XVI. 2 fin. Iustin. VII. 6.

([120]) Dem. in Aristocr. p. 660: πέμψας (Phil.) δὲ γράμματα ἐπηγγείλατο ἕτοιμος εἶναι συμμαχίαν ποιεῖσθαι .. Diod. XVI. 4 init. Polyaen. IV. 2,17.

([121]) Diod. l. l. c. 8.

serunt, et tota insula vastata factiones reconciliatae sunt, bellum sociale susceperunt ([122]), cum socii oppressiones non diutius ferendas esse putarent. Stante bello, quod tres annos (ab Ol. 105.3 ad 106.2; ab 357 ad 355) complevit, Isocrates oratione scripta Atheniensibus humanitatem erga socios suasit; at frustra. Chabrias interiit; Iphicrates et Timotheus Charete auctore, Aristophonte Azeniensi accusatore imperio moti. ([123]) Chares solus tunc imperator, ne impensa facerent Athenienses belli, Artabazum, qui a rege defecerat, adiuvit magna pecuniae vi accepta. Cum deinde timor exstitisset, ne Persarum rex sociis bellantibus auxilio esset, pax inita est, qua Byzantium, Chios, Cos, Rhodus dominatione Athenarum liberatae sunt (Ol. 106.1; a. 356.). ([124]) Auctor huius pacis fuit Eubulus. ([125]) Contra Aristophon Azeniensis inde proximos annos ut acerrime bellum illud gereretur, omnimodo consuluisse videtur. Omnino hi viri, uterque favore populi utens, saepe simultates exercebant. ([126]) Anno sequenti (355)

([122]) Dem. Olynth. I. p.11 docet, expeditionem in Euboeam insulam prius factam esse quam Amphipolis a Phil. expugnata esset. cf. Philipp. I. p.44. Androt. p.597; Timotheo auctore de Cherson. p.108.

([123]) v. Clinton. ad hos annos p.134 sq. ([124]) Diod. XVI. 22.

([125]) Ulp. schol. ad Dem. p.26: τοῦ δὲ τοιαύτην γενέσθαι τὴν εἰρήνην αἴτιος Εὔβουλος.

([126]) Ruhnkenius in hist. crit. p.45 sq. duos huius nominis oratores ponit, Azeniensem et Collytensem. At Droysenus de auctoritate documentorum in or. de cor. p.112 sq. aptissime demonstravit, unum fuisse eundemque Azeniensem. Iam Reiskius in ind. hist. ad Dem. Collytensem eundem cum Azeniensi voluit. Loci de hoc collati sunt hi. Clarissimus fuit orator. Dem. π. παραπρ. p.416.13. de cor. p.301.18. Carystius ap. Athen. XIII. p.577: Ἀριστοφῶν δὲ ὁ ῥήτωρ, ὁ τὸν νόμον εἰσενεγκὼν ἐπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος, ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀστῆς γένηται νόθον εἶναι. Ad idem tempus Solonis legem ab Aristophonte renovatam referam, sive cum illa coniunctam sive paulo post additam, non licere peregrino in foro quaestum facere. Dem. Eubulid. p.1308.12. Deinde tulit, ut Gelarcho quinque talenta penderentur, quae commodaverat is iis e populo qui in Piraeeum secesserant. Dem. Leptin. p.502. Proelio navali cum ab Alexandro Pheraeo Athenienses victi essent Ol. 104.4. a. 361 cum aliis proditionis in ius vocavit trierarchos, qui locatis muneribus causa fuissent cladis acceptae. Dem. περὶ στεφ. τῆς τριηρ. p.1230,15. 1232,24. Ol. 105.4 fere a. 357 de emittendis navibus trierarchicis rogationem tulit, qua frumentum e Ponto tuto arcesseretur, et instans in Piraeeo penuria arceretur: Dem. in Polyclem p.1208.8. cf. in Lept. p.467. Dum bellum sociale geritur, circa idem tempus decretum fecit, eligendos esse inquisitores, apud quos deferrent qui pecuniam sacram publicamve possidentes scirent: Dem. in Timocr. p.703.10. cf. argum. h. or. Eodem tempore Iphicratem accusat patriae proditionis Charete auctore: Aristot. rhet. II. 23.7. Cfr. de hac causa locos ap. Westerm. hist. eloq. Gr. § 45.15. Clinton p.138. Leptini Ol. 106.2.

bellum flagravit sacrum, quo turpius crudeliusque nullum unquam gestum est, quodque ruinam iamdudum Graeciae instantem accelerabat. Athenienses et Lacedaemonii soli ex omnibus Graecis a partibus sacrilegorum stabant. ([127]) Interim Philippus e dissidiis Graecorum suum fructum capiens pedetentim potentiam adeo extendit, ut bello hoc finito principatum universae Graeciae plane esset assecutus. Ol. 106. 3-4. a. 354-353 Methonem captam diruit, Pagasas in suam ditionem redegit. ([128]) Deinde rebus Thessaliae compositis, ut Phocenses debellaret ad Thermopylas pro-

---

355 patrocinatus est in lege de abolenda immunitate quamvis ipse illa praeditus esset. Dem. Lept. p.501.24. cf. Ulp. schol. ad p.508.8. Ol. 107.1; 350 Philonicum, Eubuli socium in ius vocavit, simulque ipsius Eubuli facinora accusavit: Dem. *παραπρ.* p.434.21 cf. Ulp. ad h. l. Adversarius Philippi regis multa fecit decreta et societati Thebanorum favit: Dem. de cor. 248.8; 250.4; 281.18. Aesch. in Ctes. p.73.23. Multo antea Hegesandro impudicitiam exprobraverat: Aesch. in Tim. p.9.34. Alio, quod definiri nequit, tempore adsessor erat Archontis: A. in Tim. p.22.34. Videre licet ex his, alacrem fuisse Aristophontem in rebus gerendis: et verus dux populi fuit, qui ipse gloriabatur se septuagies quinquies *παρανόμων* accusatum fuisse (Aesch. in Ctes. p.81.39.). Concessumque ei fuisse a populo dicere et ferre quidquid vellet, Hyperides dixit in orat. adv. Aristophontem, Schol. in Plat. Theag. p. 384. ed. Bek. Eubulum ei adversarium fuisse promptissimum, etiam verba Dem. de cor. p.281 fin. testantur: *Ἀριστοφῶντα καὶ πάλιν Εὔβουλον — περὶ τῶν ἄλλων πολλάκις ἀντιλέγοντας ἑαυτοῖς εἰς τοῦθ' ὁμογνωμονοῦντας ἀεί* (de societate cum Thebanis ineunda). Etiam ille qui est in or. Mid. p.584,14, Droyseno invito Azeniensis habendus esse videtur: *Οὐ γὰρ ἐκ πολιτικῆς αἰτίας, οὐδ' ὥσπερ Ἀριστοφῶν ἀποδοὺς τοὺς στεφάνους ἔλυσε τὴν προβολήν, ἀλλ' κ. τ. λ.* ad quem loc. schol. *Οὗτος φορολόγος ὢν κατέσχε παρ' αὐτῷ τὰς δεκάτας τῆς θεοῦ, ἀφ' ὧν ἔδει στεφάνους ποιῆσαι καὶ ἀναθεῖναι τῇ θεᾷ. κατηγορηθεὶς δὲ ὑπὸ Εὐβούλου, φθάσας τὴν εἴσοδον, ἀνέθετο τοὺς στεφάνους, καὶ πέπαυται ἡ προβολή.* Dem. *παραπρ.* p. 436. 13: *Ἔτι τοίνυν πολλοὶ παρ' ὑμῖν ἐπὶ καιρῶν γεγόνασιν ἰσχυροί, Καλλίστρατος ἐκεῖνος, αὖθις Ἀριστοφῶν, Διόφαντος, τούτων ἕτεροι πρότερον. ἀλλὰ ποῦ τούτων ἕκαστος ἐπρώτευεν;* docet mortuum iam fuisse a. 343 Aristophontem. Verum decreta eius duo commemorat Dem. de cor. p.248. 250. cf. de Halonn. p.82.83.85.86. ex tempore pacem Ol. 108.3 secuto. Deinceps, ut videtur, Demosthenes decreta affert: *τοῦτο μὲν τοίνυν τὸ ψήφισμα Εὔβουλος ἔγραψεν, οὐκ ἐγώ, τὸ δ' ἐφεξῆς Ἀριστοφῶν, εἶθ' Ἡγήσιππος, εἶτ' Ἀριστοφῶν πάλιν, εἶτα Φιλοκράτης ...* Philocratis decretum contra leges latum eoque Amphipolin amissam, Hegesippo contrarium ex or. de Hal. intelligimus. Mortuus igitur est inter Ol. 108.3 et Ol. 109.2. Per sexaginta autem annos in rebus gerendis versatissimus fuit; ergo plus octoginta annos natum diem supremum obiisse consentaneum.

([127]) Ol. 107.1; a. 351. Nausicle duce quinquies mille pedites et quadringenti equites Phayllo Phocensium dictatori ab Atheniensibus auxilio missi sunt. Diod. XVI. 37.

([128]) Diod. XVI. 31 et 34. vide seqq.

gressus (Ol. 107. 1), tum ab Atheniensium classe Charete duce impeditus est. (129) Ol. 107. 4; a. 349 Philippus Chalcidensium urbibus bellum intulit; Mecybernam Toronenque oppida Thraciae proditione cepit; deinde Olynthum magno exercitu adortus Euthycrate et Lasthene praetoribus, si Demostheni fides pecunia corruptis, urbem opulentissimam (130) expugnavit, incolas in servitutem vendidit. Circum hoc tempus Aeschines res publicas capessivit.

§. 6.

Philippus bello Olynthiis illato, cum possessionibus Chalcidices Thraciaeque Athenienses timerent, tum demum acerrimus hostis haberi coeptus est ab omnibus. Quo factum est, ut Demosthenes tribus habitis orationibus unum qui contradixit, isque ex desidia fortasse, Demadem (131) vinceret, et foedere cum Olynthiis icto, ter uno anno classes magnis cum copiis in Chalcidicen mitterentur. (132) Quae quidem expeditiones, prima Charete, altera Charidemo, tertia iterum Charete duce ob pravitatem imperatorum parum profecerunt. (133) Namque anno non elapso omnes Chalcidicae urbes, plerumque proditorum ope, aut potius si vis eorum, qui meliorem civitatis statum a Philippo exspectabant, in ditionem Philippi subactae sunt. (134) Chersonesus quae Atheniensium erat Philippo patebat; status rerum Atheniensium iniquissimus erat ac periculosissimus. (135) Per legationes Graeciae civitates cohortati sunt Athenienses, ut sibi adiungerent se contra communem Graeciae hostem. Eubulus decretum hoc fert, Aeschines in Peloponnesum legatur. (136) Fieri enim poterat, cum Olyn-

---

(129) Diod. XVI. 38 cfr. 34 Chares in Hellespontum cum classe vectus Sestum urbem cepit. cfr. annal. antiq. stud. 1838. p. 780.

(130) Historiam Olynthi urbis ex fontibus haustam vide ap. Voem. prol. in Phil. I et Olynth. oratt. p. 12 sqq. (131) Suidas s. v. Δημάδης: οὗτος Δημοσθένει λέγοντι ὑπὲρ Ὀλυνθίων ἀντέλεγεν.

(132) Philoch. ap. Dionys. Hal. ep. ad Amm. c. 9. Dem. περὶ παραπρ. p. 426.

(133) De Charete v. supra; de Charidemo Goeller proleg. in Dem. oratt. de rep. (programm. m. Septembri 1822 scr.) p. 19 sq., qui locos citavit. — Addo aliam causam, quod eodem tempore expeditionem Athenienses fecerunt contra Megarenses et Corinthios (vide de hac contra Corinthios supra not. 33), quam temere susceptam tum esse Droysen l. l. p. 173 sq. verisimile facit; verum non proeliis tum certatum est.

(134) Diod. XVI. 52 fin. cf. Dem. π. παραπρ. p. 426.

(135) Aesch. περὶ πρεσβ. p. 37. 30. Diod. XVI. c. 53 et 54.

(136) Diod. l. c. Dem. π. παραπρ. p. 438. cf. p. 344. Dicit Dem. p. 439: συντυχεῖν γὰρ

thus urbs nondum esset expugnata, ut servarentur illae possessiones, si omnes Graeci, saltem Peloponnesii cum Atheniensibus coniuncti bellum gerere vellent. Aeschines Megalopoli contra Hieronymum Philippi legatum locutus est. At frustra. Odio enim Lacedaemoniorum incensi Arcades Philippi promissis aures suas praebent. Tum extrema spes abiecta est acriter resistendi Macedonibus. Ab hoc tempore nunquam bellum, continuo pacem suadet. Ipse causam hanc profitetur: *ἐγὼ δ' ἐν μὲν τῷ πολέμῳ συνίστην, καθ' ὅσον ἦν δυνατόν, Ἀρκάδας καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ἐπὶ Φίλιππον, οὐδενὸς δ' ἀνθρώπου ἐπικουροῦντος τῇ πόλει, τῶν δὲ συνεπιστρατευόντων, τῶν δ' ἐν τῇ πόλει ῥητόρων χορηγὸν ταῖς καθ' ἡμέραν δαπάναις τὸν πόλεμον ποιουμένων, ὁμολογῶ συμβουλεῦσαι τῷ δήμῳ διαλύσασθαι πρὸς Φίλιππον καὶ τὴν εἰρήνην συνθέσθαι.* (*περὶ πρεσβ.* p. 38. 27 sq.). ([137]) Hoc studium tranquillitatis inde per totam vitam Aeschines sequitur, neglecta unaquaque causa belli etiam tum, quum res inopinatae civitatique Atheniensium adversariae a Philippo gerebantur; ipseque Demosthenes eum novit laudatorem pacis (*π. παραπρ.* p. 369 sq.).

Itaque quum conatus ille commovendi Peloponnesios, ut secum ad-

---

(Aesch.) *ἀπιὼν* (ex Arcadia) *Ἀτρεστίδᾳ παρὰ Φιλίππου πορευομένῳ καὶ μετ' αὐτοῦ γύναια καὶ παιδάρια ὡς τριάκοντα βαδίζειν, — ἐπειδὴ δὲ ἀκοῦσαι, ὅτι Ἀτρεστίδας παρὰ Φιλ. τῶν Ὀλυνθίων αἰχμάλωτα δωρεὰν ταῦτα ἔχων ἀπέρχεται κ. τ. λ.*, locus hic non repugnat tempori quod modo dixi. Nam *Ὀλύνθιοι* pro Chalcidicensibus saepissime dicuntur (vide Voemel l. l.) et vice versa. Captivos autem ex oppidis Chalcidices vergente anno quarto Ol. 107 Philippus habebat multos, quos aliis muneri dare poterat. Aut si non vis Chalcidicenses, fieri potuit, ut caperentur in priore proeliorum cum Olynthi civibus commissorum, quod (vide notam paullo inferiorem) exeunte anno Ol. 107. 4 aut ineunte primo Ol. 108 commissum est. Quod si velis, legatio haec Aeschinis eidem tempori assignanda est. At cum Olynthus urbs post medium annum primum Ol. 108 capta est (vide supra), quo tempore iam de pace Atheniensium cum Philippo ineunda agitur, non tum demum Aeschines legatus in Peloponnesum esse potuit; qui si non Athenis tum praesens fuisset, semel certo ut profiteretur absentiam suam necesse esset, quippe qui contenderet, non se tum participem fuisse pacis faciendae, verum solum Demosthenem. Tamen nihil de hoc dixit, quod gravissima causa ei erat, non se socium Philocratis in pace facienda fuisse. Erraverunt igitur qui post captam Olynthum legationem hanc posuerunt Winiewski p. 72 et p. 150, Weiske P. II. p. 13 et p. 49. Ranke vit. Dem. p. 78.

([137]) Cfr. similia de hac re apud ipsum Demosthenem de cor. p. 231: *Ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων — εἴτε χρὴ κακίαν εἴτ' ἄγνοιαν εἴτε καὶ ἀμφότερα ταῦτ' εἰπεῖν, οἳ πόλεμον συνεχῆ καὶ μακρὸν πολεμούντων ὑμῶν, καὶ τοῦτον ὑπὲρ τῶν κοινῇ πᾶσι συμφερόντων, ὡς ἔργῳ φανερὸν γέγονεν, οὔτε χρήμασιν οὔτε σώμασιν οὔτ' ἄλλῳ οὐδενὶ τῶν πάντων συνελάμβανον ὑμῖν· οἷς καὶ δικαίως καὶ προσηκόντως ὀργιζόμενοι ἑτοίμως ὑπηκούσατε τῷ Φιλίππῳ.*

versus Philippum res gererent, ad irritum cecidisset, res Atheniensium prorsus iacerent: cumque Philippus plus uno modo ad pacem cum Atheniensibus ineundam pronum se ostendisset: libentissime Athenienses hanc pacis spem acceperunt, et viri qui in rebus publicis versabantur, vera et diuturna ut fieret pax, fere omnes omnibus viribus studuerunt. Processerat primus Olympiadis CVIII annus. Iam antehac legati Euboensium, ut res suas cum Atheniensibus componerent Athenas profecti, iussos se esse nuntiare, velle illum pacisci cum iis, declararunt. Tempore deinde ludorum Olympicorum Phryno Atheniensis a praedonibus captus, cum pretio soluto Athenas rediisset, populum rogavit, ut repetenti sibi pretium redemtionis operam daret. Tum Ctesiphon legatus ad Philippum ei datus est. Qui Athenas regressus cum retulisset ad populum, dictitasse Philippum, invitissimum se bellum contra civitatem Atheniensium gessisse, maximeque cupere ab armis recedere, cumque exposuisset, quam benigne rex se egisset: omnium civium consensu Philocrates Hagnusius rogavit, ut liceret Philippo legatos pacis causa Athenas mittere. His actis prope medium Themistoclis annum (hiemem $34\frac{8}{7}$) advenisse statuere licet. Erant tamen qui, ne pax fieret, impedire studerent. Qui rogationem illam Philocratis accusant; nomine Lycini accusationem inscribunt. Deinde causa in foro agebatur. Philocrates, cum adversa valetudine laboraret, Demosthenem sibi patronum advocavit; a quo defensus absolvitur: accusator quintam suffragiorum partem non accepit. Sub eadem tempora Olynthus urbs capitur, uno igitur fere de tribus extremis huius anni mensibus, sive vere 347 (ponas mense Munychione, Martio exeunte vel ineunte Aprili). (138)

---

(138) Zimmermann de Demosthene reip. Athen. administratore (Berol. 1828) p. 59 „medio fere primo anno Ol. 108", recte. — Winiewskio comment. p. 68 Olynthi expugnatio ad initium Theophili anni referenda videtur. At loci, unde hoc coniecit, Dem. *π. παραπρ.* p. 426. et Diod. XVI. 55. non ita probant quod voluit. Dem. enim l. c. de Olynthiis: *πρὶν μὲν ἐξελθεῖν ἐνιαυτὸν τοῦ πολέμου, τὰς πόλεις ἁπάσας ἀπολωλέκεσαν τὰς ἐν τῇ Χαλκιδικῇ.* Exarsit quidem bellum Ol. 107.4 archonte Callimacho; tamen non ad verbum urgendum est illud *πρὶν ἐξελθεῖν ἐνιαυτόν*, „bellum unius anni spatio gestum esse". Nam Diodorus XVI, 52 fin. sub Ol. 107.4 narrat, Philippum urbes Chalcidices aggressum Giram munitam cepisse et evertisse, et alia aliquot oppidula prae metu ei se subiecisse. Deinde Philippum Pheras Thessaliae invasisse, indeque Pitholaum expulisse. Porro Diodorus XVI. 53 sub anno primo Ol. 108 refert, Philippum conatum esse urbes ad Hellespontum sitas in potestatem suam redigere, Mecybernam et Toronen proditione accepisse. Contra Olynthum vero cum magno

§. 7.

Haud arbitrer Olyntho capta rursus exarsisse in Philippum Atheniensium odium. Namque iam diu exspectatum erat, fore ut urbem expugnaret; ipsique Athenienses, ut videtur, destituerant omnino Olynthios ex eo tempore, quo Chalcidices oppida in ditionem regis redacta erant, et factio Olynthiorum Philippo magis magisque conciliari coepta, (ita ut minime callidus emtor Olynthi - Iuvenal. XII. 47 - Philippus vocari debeat), quo eodem humanitate regis in civitatem Atheniensium per legatos illos cognita de pace ineunda in urbe agebatur. Oratores consulto Olynthi eversionis perraro mentionem facere videntur, propterea opinor quod auxilium missum parum profuerat Olynthiis. Magis etiam populus pacis appetens inde apparuit. Moverunt quoque cognati eorum civium, quos Olyntho expugnata rex multos ceperat, ut his operam daret populus precantes. Tum Philocrate et Demosthene suadentibus Aristodemus actor, arte sua regi acceptus, in Macedoniam missus est. Qui cum circum medium Boedromionem anni Thessali Ol. 108. 2, quo anno Demosthenem in senatores sortiti erant, rediisset, eadem cum prioribus legatis de comitate regis referens addit, etiam societatem inire sedulo regem optasse. Demosthene rogante corona donatus est Aristodemus. Tum alterum exstitit Philocratis decretum altero m. Boedrom. dimidio ([139]), ut decemviri ad Philippum legati crearentur, qui de pace et de iis, quae et Philippo et

---

exercitu profectum Olynthios duobus proeliis victos in urbe circumsedisse; et primum quidem frequentibus ante muros irruptionibus multos milites perdidisse, denique urbem Euthycratis et Lasthenis proditorum ope captam evertisse (cf. Dem. π. παραπρ. l. c. et p. 451. de Cherson. p. 99.). Hinc concludimus, illa duo proelia aestate a. 348 commissa esse, igitur initio anni Theophili Arch. Ol. 108. 1, vel, id quod e Diodori rationibus sumere licet (cf. Weiske III. n. 34), extrema parte Ol. 107. 4. Sequitur auctumno impetus in Olynthum factus atque obsessio, ubi fortissime se defenderunt Olynthii; hieme ea quae egerunt illi viri urbis principes sensim in Philippi commodum versi, ita ut vere ineunte a. 347 Olynthus capta et diruta sit. Quo facto Philippus ex praeda et incolis sub hasta venditis multam vim pecuniae sibi comparavit, qua ad bellum gerendum ei opus erat (Diod. XVI. 53 fin.). Item Clinton F. Hell. p. 148 expugnationem Olynthi vere a. 347 posuit. Haud multo post captam Olynthum 'Ολύμπια (non τὰ 'Ολύμπια dixit Diodorus) instituit Philippus, insignia sacra Diis faciens, vere aut aestate a. 347, id quod solebat agere victoria parta (vide locos citatos ap. Clinton. l. l.).

([139]) Aesch. περὶ πρεσβ. p. 45. 42: ἀλλ' ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ περί τε τῆς εἰρήνης ἐβουλεύεσθε καὶ τῆς ἐπιστολῆς ἠκούετε τῆς Προξένου, ὅτι Φωκεῖς οὐ παραδεδώκασιν αὐτῷ τὰ χωρία, καὶ οἱ

Atheniensibus prodessent, cum rege agerent. Consentiunt huic decreto viri insignes Eubulus et Cephisophon. (140) Demosthenes a Philocrate, Aeschines ab Nausicle proponitur legatus; praeter hos creati sunt Phryno ille et Ctesiphon et Aristodemus, Iatrocles, Cimon, Dercylus (141); ad hos ex sociis Aglaocreo Tenedius. Abierunt hi cunctis consentientibus, cunctis ea spe plenis, pacem tandem et quietum statum reipublicae eventurum esse, anno exeunte 347. Caduceator Atheniensis praemissus est, qui, tuti ut legati proficisci possent, impetraret. Profecti sunt celeriter legati Oreum oppidum ad septentrionalem Euboeae insulae partem situm, inde in oram Phthiotidis traiecti Halum se vertebant ad Parmenionem, qui oppidum hoc Thessaliae circumsidebat (142), deinde per medium hostium exercitum Pagasas, indeque profecti Larissam praemissum caduceatorem, qui eo iam reverterat, convenerunt, donec Pellam ad Philippum advenirent. In hoc itinere Demosthenes fiducia sui sublatus molestum se faciebat ceteris legatis, qui cum considerantes, quid sibi aptissime dicendum esset, timerent, ne Philippus expediendis causis superior prodiret, sese ita locuturum confidenter dictitabat, Philippum ut tacitum redderet. Erat vir severus, morosus, totus negotiis deditus, ideoque minime aptus qui consuetudine sua alios delectaret, cum praesertim inter collegas hos essent viri hilaris solutique animi, ut Philocrates, Phryno, Aristodemus, quos Aeschines quidem, utpote qui una cum iis a civitate ad easdem res agendas missus esset, facile ferre poterat, nunquam Demosthenes. Ceterum teneas, nihil conquestum esse Demosthenem hanc quae insignitur *περὶ εἰρήνης* legationem, ne tum quidem, cum proditionis eosdem legatos in altera legatione *περὶ τῶν ὅρκων* iam accusasset. Legati ad Philippum vocati secundum aetatem, ut convenerat inter hos, deinceps loquuntur. Imprimis Aeschines oratione

---

τὰ μυστήρια ἀπαγγέλλοντες — ἀπέφηναν Φωκέας οὐ δεδεγμένους τὰς σπονδάς ... Incidebant autem Eleusinia mysteria in dies Boedrom. m. 15-24. vid. Corsin. F. A. tom. II. p.378.

(140) Dem. de cor. p.232.

(141) Voemel proleg. p.248: „legatorum horum nobilitatem commemoravit Olivier. vit. Phil. vol. II. p.52. n.1. cf. p.63. Valcken. orat. Phil. p.274 sqq."

(142) Dem. *π. παραπρ.* p.392 habet descriptionem hanc itineris. — De Hali illo tempore circumsessione vide Suid. s. v. *Κάρανος: εἷλε* (Phil.) *δὲ καὶ Κερσοβλέπτην, Θρᾳκ. βασ. κ. φίλ. Ἀθην., καὶ Ἁλόνησον ἔλαβε καὶ ἄλλας πόλεις, μεθ᾽ ἃς ὁ πόλεμος ὁ Φωκικὸς κ. τ. λ.*, ubi recte *Ἅλον* legi vult Weiske de hyperb. II. p.9. n.6.

sua excellit, qua benignitatem ac beneficia Atheniensium prioribus temporibus in maiores Philippi facta, merita Iphicratis de Amynta patre deque ipso Philippo infante laudibus effert, resque minus probabiliter gestas in commodum Atheniensium vertere studet; deinde de Amphipoli causa belli loquitur, quam urbem Atheniensium esse debere et ex mythis et ex pactis sui temporis demonstrat. (143) Demosthenes, quum aetate infimus esset, ultimus loquitur; sed praesentia Philippi turbatus oratione excidit. Apertum est, hunc casum aegre tulisse eum virum, qui Athenis acerrimas optimasque orationes habuerat in eundem Philippum. Accedit quod Aeschines, cum rex dictis legatorum responderet, huius prae ceteris diligentiam expertus, Demosthenes autem cum verbis suis plane neglectus est. Quin etiam, cum deinde familiaribus colloquiis legatorum rex uteretur, eosque honoris causa ad coenam invitaret, minime affabilem Demosthenes se praebuit; et in reditu, si verum sit, quod Aeschines testimoniis collegarum firmavit, insidiosissimus apparuit. Tamen cum Athenas regressi circum initium Elapheboliouis sive Martii m. (Aesch. in Ctes. p. 63.) de legatione facta ad senatum retulissent epistolamque a Philippo scriptam tradidissent, Demosthenes, qui ipse hoc anno senator erat, legatos republica dignos laudans tulit, ut quisque eorum oliva coronaretur omnesque in sequentem diem ad coenam in prytaneum invitarentur. (144) Cum deinde ad populum referrent, Ctesiphon natu inter legatos maximus primus locutus inter alia affabilitatem regis laudavit eiusque formam ac dexteritatem in compotationibus; et post hunc Philocrate et Dercylo locutis Aeschines aliis hoc adiecit, Philippum oratorem esse bona memoria magnaque vi. Postremo Demosthenes ut nugas talia verba irridens decrevit, ut cum caduceatore a Philippo Athenas misso pangeretur, item cum legatis eius venturis, et ut, cum primum ii advenissent, duabus deinceps diebus concionem prytanes convocarent, qua et de pace et de foedere ageretur. Idem posthac in senatu tulit, ut legatis Philippi locus spectandi festis Dionysiis assignaretur. Erat enim tum senator; atque multum abest ut, id quod Aeschines quidem fecit, vituperem eius hanc rogationem; potius decebat hunc honorem legatis regis tribuere: verum ne negato Demosthe-

(143) Recensionem quasi huius orationis Aeschinis vide ap. Weiskium II. p. 26.
(144) Dem. π. παραπρ. p. 414.

nes, se paci cum rege ineundae favisse. Immo operam dedit, ut celeriter pax fieret et acceptum se praeberet Philippo affabilitate sua erga legatos. Atque uti Philocrates decreta illa duo tulit, ita Demosthenes rebus ad pacem foedusque pertinentibus prospicere studuit; neque abnuerim id, quod Aeschines ei exprobrat (in Ctesiph. p. 62. 18), plura de pace decreta a Demosthene quam a Philocrate prodiisse. Saepe Demosthenes pronuntiat, non esse quod de priore legatione legatis vitio verti possit. (145) Unde tamen fiebat, ut in altera ad unum omnes sceleratissimos homines ac proditores patriae argueret? Apparebit ex rerum processu. At impeditum est ac difficillimum e dictis contrariis verum elicere.

§. 8.

Res enim ita est: cum Aeschines tum Demosthenes ut sine mora pangeretur student. Demosthenes enim rogavit, ut prytanes concionem instituerent in octavum Elaphebolionis (8 Mart. 346. sec. Ideler.), quo die, cum dies festus esset Aesculapii, alias iudicium nullum habebatur (146), idque eo consilio, ut, simulatque legati Philippi advenissent, instructus iam populus quam celerrime de rationibus propositis decernere posset. Paullo post Antipater cum Parmenione (147) aliisque a rege missus Athenas advenit. Quamvis in Philippi epistola laetiora promissa essent (148), tamen Antipater confestim pronuntiavit, regem Phocenses omnino non assumpturum esse in societatem Thebanorum gratia et Thessalorum. (149) Quo facto causa pacis in magna disceptatione versata esse videtur. XVIII Elephabol. prior erat concio in qua agebatur de conditionibus pacis cum rege faciendae. (150) In hac Demosthene rogante cuilibet suadere ac sententiam

---

(145) ibid. p. 345 init. alibi.

(146) Aesch. in Ctes. p. 63. cf. Schoemann de comitiis Athen. p. 49 sqq. Boeckh. Oecon. II. p. 253. — Recte octavo die, non decimo octavo; neque est, cur Goeller. in proleg. p. 7. n. 19 contendat ex loco Aesch. περὶ πρεσβ. p. 36. 5, Aeschinem sibi contradicere. (Num forte coniicere liceat, hanc concionem eandem esse atque illam, in qua legati ex Macedonia regressi ad populum retulerunt?). (147) cfr. III epist. Isocr. (alteram ad Philippum) § 1 sq.

(148) Dem. π. παραπρ. p. 443: συνέγραψε δὲ (Phil.) ἐπιστολὴν ὡς ὑμᾶς, ᾗ μάλιστα ἂν ᾤετο τῆς εἰρήνης τυχεῖν. Tamen epistola Philippi in orat. de Halonn. p. 85. 4 commemorata eadem esse videtur. cfr. Dem. π. παραπρ. p. 354.

(149) Dem. l. l. p. 444 med. (150) Aesch. in Ctesiph. p. 63.

suam dicere licebat. ([151]) Philocrates pacem etiam iniquissimis conditionibus ineundam suasisse videtur; quem locutum Aeschines excepit his verbis: „Si multum, inquit, et diu meditatus esset Philocrates, quo pacto acerrime adversaretur, Athenienses, nihil eum melius fuisse reperturum arbitror talibus decretis. Ego vero pacem istam, dum unus Atheniensis superfuerit, nunquam civitati suaserim; pacem tamen faciendam esse dico." ([152]) Deinde alii oratores progressi victorias gloriamque maiorum efferebant, ut perinde ac maiores saluti totius Graeciae imprimis sociorum prospiceret populus (scilicet de Phocensibus hos egisse patet, quos Philippus paci adscribi noluit), ut decretum ferret civitate et gloria a maioribus accepta dignum. Quibus contradixit Aeschines hortans cives, ne arcerentur per tales oratores a pace ineunda, neve reipublicae salutem posthaberent sociorum, qui antea ipsos nihil iuvissent; ut aemularentur quidem illas praeclarissimas maiorum res, iidemque tamen temerarium belli studium, quo illi confecti essent, ipsi prudenter vitarent. Eubulus denique ait, aut in Piraeeum descenderent, pecuniam theoricam in bellum impenderent, aut concederent iis quae Philocrates rogasset. ([153])

Convenerat antehac, ut socii Atheniensium pacem foedusque ineundum participarent. Quam ob rem cum primum bello stante de pace Athenis agi coeptum est, legati in civitates Graeciae missi sunt, qui provocarent, tum ut una cum Atheniensibus bellum contra Philippum gererent, si oporteret, tum ut paci se adiungerent, si ea prodesset. ([154]) Qui legati Atheniensium nondum redierant, cum de pace concionibus illis institutis agebatur; neque legati illarum civitatum Athenas convenerant, id quod patet e documentis, quae Aeschines publice legi iussit, quantumlibet repugnet Demosthenes. ([155]) Tamen non cunctantes Athenienses pacem festi-

---

([151]) Aesch. *περὶ πρεσβ.* p.36.26: *καί μοι λάβε τὸ ψήφισμα καὶ ἀνάγνωθι τὸ Δημοσθένους· ἐν ᾧ φαίνεται γεγραφὼς τῇ μὲν προτέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν συμβουλεύειν τὸν βουλόμενον.*

([152]) Dem. *π. παραπρ.* p.345.

([153]) Dem. *π. παραπρ.* p.434 fin. Haec fere ad veritatem proxime accedere mihi videntur e verbis accusantis Demosthenis *π. παραπρ.* p.345. p.444. et defendentis Aeschinis *περὶ πρεσβ.* p.36.15 sq. p.37.7. p.38. cfr. in Ctes. p.63.40 sqq.

([154]) Aesch. *περὶ πρεσβ.* p.35.25.

([155]) *π. παραπρ.* p.345. de cor. p.233. vid. Weiske II. p.40, *ὑπερβολικῶς* haec Demosthenis verba dicta esse. Mire Winiewski p.74.n. dicit, Demosthenem eleganter refellere

nant; et ne Demosthenes quidem, uti totus erat tum in bello finiendo, vere suppeditat sociis. (156) Synedrii sociorum, quod Athenis erat, in priore ecclesia legitur decretum, ut cuique civitatum Graecarum liceret, tribus mensibus in eadem atque Athenienses columna inscribi pactisque se adiungere. (157) Huic decreto omnes qui in priori hac concione dicebant consentiunt, ipseque Aeschines (l. l.). Sequenti die (19 Elaphebol.) altera ecclesia de sanctione pacis ac foederis habetur. Dicit quidem de hac Aeschines, cum proedri populum in suffragium mittere pridie iussi essent, nemini licuisse sententiam ferre. (158) At ipse in posteriore oratione (in Ctes. p. 63 fin.) tradit, locutum esse Demosthenem, neque ulli cessisse locuturo. Equidem licet concedam, ex rogatione Demosthenis proedros iussos esse, tamen, antequam illi mitterent altero hoc die, oratoribus licitum fuisse loqui haud abnuerim; non quo legitime licuisset iis, sed cum res, de qua decerneret concio, gravissima esset, eaque in priori concione in dubio haesisset, postquam (imprimis de sociis participandis deque foedere icendo) ultro citroque verba facta erant. (159) Ceterum ordo in causis iudicialibus illo tempore non adeo constabat, ac plerumque res forenses licentius turbulentiusque tum agebantur. (160) Itaque Demosthenes in posteriori concione censebat, ne foedus a pace avelleretur, neve lenta Graecorum consilia exspectarentur; et decretum Philocrateo simillimum

---

adversarium; immo levissima sunt quae dixit Demosthenes. cfr. Flathe hist. Maced. p. 200 sq. Neque adeo offendat nos, post tam longum tempus legatos non revertisse, cum ponamus, legationes emissas esse eius generis, quas Boeckhius (Oecon. Ath. II. p. 166) vocat migrantes, ita ut iidem legati in complures civitates subinde profecti sint. Nec verisimile est, Athenienses tam multos legatos singulos in singulas civitates misisse.

(156) Semel leviter et oblique dicit, sese patrocinatum esse sociis *π. παραπρ.* p. 345: *ἐμοῦ τῷ τῶν συμμάχων συνηγοροῦντος δόγματι, καὶ τὴν εἰρήνην ὅπως ἴση καὶ δικαία γενήσεται πράττοντος* ... vide etiam Ranke in vita Dem. (Encyclop. Hal. tom. II.) p. 79.

(157) Aesch. in Ctes. p. 63. 32. Ceterum ibi multa mentitur Aeschines.

(158) Aesch. *περὶ πρεσβ.* p. 36. 26: — *τῇ δ' ὑστεραίᾳ τοὺς προέδρους ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας, λόγον δὲ μὴ προτιθέναι· ἐν ᾧ με φησὶν αὐτὸς Φιλοκράτει συνειπεῖν.*

(159) Itaque Aeschines illis duobus locis secum non pugnat, id quod visum Goellero (Progr. Colon. 1829. proleg. p. 6. n. 16.); sed potius illi duo loci coniuncti rectum praebent. In orat. *περὶ πρεσβ.* l. c. Aeschines decreta pro se habet, atque iuvabat eum tacuisse, quod extra ordinem erat loqui; in oratione Ctesiph. (p. 63.) decreta praetermittit, id, quod vere evenerat, demonstrat. (160) cfr. Wachsmuth Antiq. Hell. P. I. 2. p. 354.

ipse proedris propositurus erat. ([161]) Denique in Philocratis et pacis et foederis ineundi conditionibus subsistitur; populus in suffragium mittitur. Postremo Antipater in concionem introductus decretis populi nomine regis consensisse videtur (Aesch. in Ctes. p. 64. 5.).

§. 9.

De sociis ad pacem assumendis Demosthenes (π. παραπρ. p. 391) tradit: — *ἀλλ᾽ ἀναγκασθέντος ὑφ᾽ ὑμῶν τοῦ Φιλοκράτους ταῦτα μὲν ἀπαλεῖψαι* (scil. *πλὴν Ἁλέων καὶ Φωκέων*), *γράψαι δ᾽ ἄντικρυς Ἀθηναίους καὶ τοὺς Ἀθην. συμμάχους*. Atque apparet e documentis apud Aeschinem, sub finem concionis 25 Elaphebol. habitae ab legatis Philippi socios iureiurando obstrictos esse ([162]); non simul et una cum Atheniensibus (quam ob rem Aeschines Demosthenem arguit impedivisse, ne civitas Atheniensium caput sociorum tum fieret, mentitus), sed seorsum iuratis iam antea Atheniensibus paci cum Philippo factae accessisse. De Cersoblepta rege Demosthenes in oratione *περὶ παραπρ.* omnino fusius loqui supersedebat, nisi quod ibid. p. 395 fin. dicit: *πρῶτον μὲν τοίνυν Φωκεῖς ἐκσπόνδους καὶ Ἁλεῖς ἀπέφηναν καὶ Κερσοβλέπτην, καὶ παρὰ τὸ ψήφισμα καὶ τὰ πρὸς ὑμᾶς εἰρημένα.* Tamen paullo antea: *οὗτοι* (Philocrates et Aeschines) *τὸ πρῶτον πλὴν Ἁλέων καὶ Φωκέων γράψαι* (*ἐπεχείρησαν*), Philocratem vero coactum esse scribere *Ἀθηναίους καὶ τοὺς Ἀθηναίων συμμάχους*. In oratione de corona ne verbo quidem Cersobleptam tetigit; et quod alibi legimus idem de hoc per Aeschinem destituto Cersoblepta in orat. Phil. IV. p. 133 et orat. de epistola Philippi p. 160, cum spuriae sint hae orationes, nihil ad Demosthenem pertinet. Equidem arbitror, Athenienses Cersobleptae regi, ut tutus in tuto regno suo esset, parum providisse, credo quia scirent Philippum cum exercitu Thraciam iam invasisse. Neque aderat Athenis ullus Cersobleptae legatus, cum de pace agebatur. Qui vero paucis diebus post pacem altera

---

([161]) Aesch. *περὶ πρεσβ.* p. 36. 25 et p. 37 init.: .. *εἰ δῷ* (Dem.) *τῷ γραμματεῖ ἐπιψηφίσασθαι τοῖς προέδροις, καὶ εἶναι, ἐφ᾽ οἷς τὴν εἰρήνην καὶ τὴν συμμαχίαν ἔγραψε ποιεῖσθαι ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς, ἐφ᾽ οἷς περ καὶ Φιλοκράτης ἐγεγράφει*: id quod testatur vir magistratus, Amyntor Erchieus.

([162]) A. π. *πρεσβ.* p. 39. 23: *ὡς δ᾽ ἡ παροῦσα ἐκκλησία διελύθη, ἐξώρκιζον τοὺς συμμάχους οἱ τοῦ Φιλ. πρέσβεις ἐν τῷ στρατηγίῳ τῷ ὑμετέρῳ.* Sequuntur *μαρτυρίαι τῶν συνέδρων τῶν συμμάχων.* cf. in Ctes. p. 64. 10 et 17.

illa ecclesia (19 Elapheb.) sancitam legatum Cersobleptae se praebebat, Critobulus Lampsacenus, studens ut una cum sociis iusiurandum faceret, is non admissus est ([163]); suspicor, quod non numeratus est inter consessores sociorum Atheniensium (*συνέδρους*), qui ipsi ut hoc eodem die coram Philippi legatis pacem iurarent, per Philocratem occulte in decreto constitutum erat. ([164]) Namque discrimen est inter legatos sociorum et inter consessores: hi enim ex iis, quae tum sequebantur Athenienses obsequio sociatae, civitatibus continuo Athenis morantes ([165]) more nostrorum legatorum (Gesandte u. Bevollmächtigte) rebus et civitati suae quisque propriis providebant et una cum Atheniensium populo consulebant; illi rerum singularium agendarum causa mittebantur. Decretum illud, ut una iurarent socii, de his factum est, qui Atheniensibus obnoxii essent, sicut Tenedus, Imbrus, Scyrus insulae aliaque oppida; non de iis, qui vulgari nomine vocabantur socii, ut Phocenses, civitates aliquot in Thracia sitae, ipse Cersobleptes, alii. ([166]) Quare factum est, ut ex sociis his Aglaocreo

---

([163]) Goeller l. l. p. 8: „Nullum eius (Cersobl.) legatum, quem cum potestate quidem a regulo suo missum esse populus putaret, adfuisse probabile est; quamquam Critobulum nescio quem Lampsacenum surrexisse, et pacem nomine Cersobleptis, quippe ab illo cum auctoritate missum, firmare voluisse, et ut regulum in societatem armorum reciperent, petiisse, narrat Aeschines." Quadrare videtur id, quod de Cersoblepte a pacis communione prohibito tradit auctor epistolae Philippi in orat. de hac p. 159. fin.

([164]) De his omnibus prae aliis videas Aeschinem *π. πρεσβ.* p. 35. 38 sqq. pagg.

([165]) Diod. XV. 28: *κοινὸν συνέδριον ἁπάντων τῶν συμμάχων συνεστήσαντο, καὶ συνέδρους ἀπέδειξαν ἑκάστης πόλεως. ἐτάχθη δ' ἀπὸ τῆς κοινῆς γνώμης τὸ μὲν συνέδριον ἐν ταῖς Ἀθήναις συνεδρεύειν κ. τ. λ.*

([166]) Patet hoc ex Aesch. *περὶ πρεσβ.* p. 39. 1-32. coll. cum orat. in Ctesiph. p. 64. 9-20. Attende praecipue verba qualia *συναναγραφῆναι Κερσοβλέπτην ἐν τοῖς ὑμετέροις συμμάχοις*, — *ἀποδοῦναι τοὺς ὅρκους Φιλίππῳ μετὰ τῶν ἄλλων συμμάχων τὸν ἥκοντα παρὰ Κερσοβλέπτου* (ibid. p. 39. 13), — *ἀναστὰς ἐκ τῶν προέδρων Δημοσθένης οὐκ ἔφη τὸ ψήφισμα ἐπιψηφιεῖν, οὐδὲ λύσειν τὴν πρὸς Φίλιππον εἰρήνην, οὐδὲ γινώσκειν τῶν συμμάχων* [al. *συμμαχιῶν*] *τοὺς συνεφαπτομένους, ὥσπερ ἐν τοῖς σπένδουσι τῶν ἱερῶν· ἀποδοθῆναι γὰρ περὶ τούτων ἑτέραν ἐκκλησίαν* (p. 39. 15). Rectissime ad h. l. notavit H. Wolfius: „Videtur importunitatem Cersobleptae perstringere, qui subito se Atheniensi foederi immisceat: id quod Philippus non sit aequo animo laturus, cui sit peculiaris cum Cersoblepte ratio. Libet quisque pro se: aliorum libationibus immiscere se ultro, parum decere videtur." — Porro: *καλείτω δέ μοι τοὺς στρατηγοὺς ὁ κῆρυξ καὶ τοὺς συνέδρους τῶν συμμάχων* .. (p. 39. 31.) aliam quidem rem Aeschini confirmaturos, tamen in eadem ut videtur causa. — *ἀποδοῦναι τοὺς ὅρκους τοῖς πρέσβεσι τοῖς παρὰ Φιλίππου ἐν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ τοὺς συνέδρους τῶν συμμάχων. παρὰ δὲ τοῦ Κερσοβλέπτου*

Tenedius ad decem illos Atheniensium legatos in utraque ad Philippum legatione adderetur, electus quidem hic a populo Atheniensium. ([167])

Ergo, ut comprimam orationem meam, Athenienses XIX Elapheb. iureiurando legatis Philippi dato pacem sanciunt, postquam antecedenti die pacem ineundam deliberarunt. Deinde, fortasse ipso XIX Elaphebolionis, decem legati Athenienses creantur, qui Philippum iureiurando obstringerent, iidem, ut videtur, qui in priore legatione fuerant, idemque Aglaocreo Tenedius ex sociis undecimus (Aesch. περὶ πρεσβ. p. 41 init.). XXV Elaphebolionis post concionem exactam socii Atheniensium a legatis Philippi obstringuntur. Deinde legati Philippi Athenis profecti Thebas iter vertebant. Demosthenes pace facta gaudens legatis regis multos honores tribuit comiterque eos tractavit. ([168]) Postulat, ut quam celerrime possent legati Athenienses proficiscerentur; verum mentitur, aut si mavis, loquacius gloriatur, idcirco se hoc suasisse, quia praescivisset, quid futurum esset, si minus iter festinarent legati (π. παραπρ. p. 388.). Ipse dictitabat, hucusque nihil esse, quod argueret corruptionis Philocratem et Aeschinem ceterosque legatos. ([169])

Lex pacis omnino erat haec: teneret quisque quae haberet. ([170]) Quae quam anceps novique belli seminibus plena fuerit, patet: siquidem tempus definitum non erat, nec possessiones quas teneret Philippus quasque Athenienses nominatae; ita ut postea de Amphipoli deque aliis pacis conditionibus Philippum inter et Athenienses certaretur, ut pax corrigeretur petentes, de qua pacis correctione oratio supra Halonneso habita est.

σύνεδρος οὐκ ἐκάθητο· γράψας δὲ τοὺς συνεδρεύοντας ὀμνύναι τὸν Κερσοβλ. οὐ συνεδρεύοντα ἐξέκλεισε τῶν ὅρκων. or. in Ctesiph. p. 64.17. Quo fit igitur, ut postremo hoc loco Aeschines non refragetur sibi in orat. π. πρεσβ. l. c. dicenti, Critobulum a Cersoblepte Athenas legatum fuisse. Scilicet non hic erat σύνεδρος τῶν συμμάχων.

([167]) Aesch. π. πρεσβ. p. 29.39: — Ἀγλαοκρέοντα τὸν Τενέδιον, ὃν ἐκ τῶν συμμάχων εἵλεσθε.

([168]) Dem. π. παραπρ. p. 414. de cor. p. 234. Aesch. π. πρεσβ. p. 42.32 sqq. cf. Dinarch. adv. Dem. p. 94. § 29: — καὶ ζεύγη τοῖς πρέσβεσιν ἐμισθώσατο τοῖς μετ' Ἀντιπάτρου δεῦρ' ἐλθοῦσιν, ἀναλαμβάνων αὐτοὺς καὶ τὸ κολακεύειν τοὺς Μακεδόνας πρῶτος εἰς τὴν πόλιν εἰςάγων.

([169]) π. παραπρ. p. 388: οἱ δὲ πρέσβεις ἀπῄρκεσαν οἱ τοῦ Φιλ. λαβόντες τοὺς ὅρκους, — καὶ μέχρι τούτου γε οὐδὲν ἀνήκεστον ἦν τῶν πεπραγμένων, ἀλλ' αἰσχρὰ μὲν ἡ εἰρήνη καὶ ἀναξία τῆς πόλεως, ἀντὶ δὲ τούτων δὴ τὰ θαυμάσια ἀγαθὰ ἡμῖν ἤμελλεν ἔσεσθαι. cf. 345.

([170]) orat. de Halonn. p. 83.11 ex decreto Philocratis, vid. Schol. e cod. Augustano a Reiskio exscripta (ed. Dobson p. 298).

§. 10.

Legati Athenienses per decretum senatus Demosthene auctore factum ([171]) sine mora proficisci iussi sunt. ([172]) Ex decreto de pace lato mandatum iis erat, solum ut iusiurandum a Philippo in manus acciperent, aliaque nonnulla curarent. Inter haec id quoque pertinebat, ut de captivis reddendis loquerentur. ([173]) Prae ceteris legatis Demosthenes munus hoc suscepisse videtur, qui quidem posthac simulavit, se adiectum esse ceteris legatis ad eum finem, ut nomine legati, publico munere ornatus, de suo captivos redimeret. ([174]) Ceterum iussi sunt legati quam plurima possent efficere utilia. ([175]) Qui cum Oreum septentrionalis Euboeae ad portum advenissent, terra, ut in priore legatione, proficisci maluerunt. Haud igitur adeo accelerato itinere adveniunt Pellam, Philippo absente in Thracia. Qui dum a legatis Pellae sedentibus in dies exspectatur, complura Thraciae oppidula expugnat, postquam antea iam ab 25 Elapheb. inde regnum Cersobleptae ingressus Serrion Teichos et Hieron Oros cepit, indeque copias expulit, quas imposuerat dux Atheniensis Chares. ([176]) Quum deinde Pellam regressus esset ([177]), de rebus Atheniensium agi coeptum est. Convenerant eo legati ex omnibus fere Graeciae civitatibus, alii bellum

---

([171]) Aesch. π. πρεσβ. p. 40. 15 sqq.

([172]) Verba huius decreti Demosthenici vid. in orat. π. παραπρ. p. 389. fin. ἀπιέναι τοὺς πρέσβεις τὴν ταχίστην, τὸν δὲ στρατηγὸν Πρόξενον κομίζειν αὐτοὺς ἐπὶ τοὺς τόπους, ἐν οἷς ἂν ὄντα Φίλιππον πυνθάνηται, γράψας, ὥσπερ νῦν λέγω, τοῖς ῥήμασιν οὕτως ἄντικρυς.

([173]) Aesch. π. πρεσβ. p. 40 sq. - p. 41. 6: οὐδὲ γὰρ τὸ ψήφισμα τοῦθ' ἡμῖν προσέταττεν (scil. id quod antecedentibus verbis dixit, περὶ τῆς ἐπὶ Θρᾴκης ὁδοῦ), ἀλλὰ ἀπολαβεῖν μόνον τοὺς ὅρκους, καὶ ἄλλ' ἄττα. ([174]) Dem. π. παραπρ. p. 394. cfr. Voemel proleg. p. 258.

([175]) Aesch. π. πρεσβ. p. 41. 37: ἀφίγμεθα δ' ἡμεῖς ἔχοντες τοῦ δήμου ψήφισμα, ἐν ᾧ γέγραπται, πράττειν δὲ τοὺς πρέσβεις, καὶ ἄλλ' ὅτι ἂν δύνωνται ἀγαθόν.

([176]) or. de Halonn. p. 85 sq. III Philipp. p. 114. de cor. p. 234. cf. Aesch. π. πρεσβ. p. 40. 12. vid. Flathe hist. Maced. I. p. 202.

([177]) Dem. π. παραπρ. p. 389 fin. iter ponit in Macedoniam factum esse tribus et viginti diebus, advenisse Philippum ex Thracia quinquaginta inde ab initio itineris praeterlapsis. Tota legatio perfecta est spatio temporis inter tertium Munychionis et decimum tertium Scirophorionis, i. e. inter d. 2 Aprilis et 10 Iunii (sec. Idelerum in chronologia ap. Droysen. lib. I. in tab. chronol.), igitur spatio 69 dierum. Quinquaginta subtractis undeviginti tantum restant dies, qui, cum multae res agendae essent legatique etiam Athenas redissent, non sufficere videntur. Unde sequitur, Demosthenem temere illum dierum numerum definivisse.

rogantes, alii idem deprecantes. (178) Invidia diffidia incensi legati imprimis Thebanorum verbis Athenienses lacerabant; quae aegre ferens Aeschines, ut superbia Thebanorum opprimeretur, collegas suos impulit; ex decreto illo, ut quam plurima commoda reipublicae legati curarent, se id facere debere ratus. Demosthenes contra, totus in pace tum versatus, ne mutuae inimicitiae perturbationesque inter civitates conflarentur, censebat (Aesch. π. πρεσβ. p. 42. 7 sqq.). Quum igitur Philippum et a Thebanis et a Phocensibus auxilio vocatum per Thermopylas in Phocidem invasurum esse Aeschines intellexisset, utilitatem inde reipublicae parare studens, quum ante Philippum dicebat, primo locutus de sacramentis, quae a Philippo exigere iussi essent legati, deque aliis, quae a populo mandata essent, tum fusius (179) expeditionem Thermopylas versus tractans hortatus est regem, ut, quum exercitu bellum Phocicum finire suscepisset, omnem curam sacris Hellenicis ordinandis adhiberet, pietatem deorum observaret, ne aequo animo ferret, oppida Boeotica, quippe quae Amphictyonica essent, diruta iacere, ut Amphictyonibus collectis ii soli delictorum poenam luerent, qui templo vi occupato inexpiabiles fraudes concepissent, ceteri poena vacarent; denique ne sceleratos Thebanos iuvaret. (180) Thebas enim esse Boeotiae, non Boeotiam Thebarum. Rex benigne Athenienses tractabat: legatis cunctis pro comi suo ac splendido more magnam pecuniae vim ut munus hospitale donat (Demosthenes suam partem sese

---

(178) Iustin. VIII. 4: „Foedum prorsus miserandumque spectaculum, Graeciam etiam nunc et viribus et dignitate orbis terrarum principem, regum certe gentiumque semper victricem et multarum adhuc urbium dominam, alienis excubare sedibus aut rogantem bellum aut deprecantem, in alterius ope omnem spem posuisse orbis terrarum vindices eoque discordia sua civilibusque bellis redactos, ut adulentur ultro sordidam paulo ante clientelae suae partem."

(179) Aesch. l. l. Conditionem templi Delphici narrat et primum Amphictyonum conventum, sacramenta legit, alias res e mythis petitas exponit. Simili ratione etiam in priore legatione longam ante Philippum habuit orationem; nec parvam inde gloriam eloquentiae apud regem nactus est. Isocrati in his est similis, cuius orationes saepe ac libenter Philippum legisse constat.

(180) vide haec ap. Aesch. περὶ πρεσβ. p. 42 et p. 43. Demosthenes de his nullo verbo dicit, neque de iis, quae locutus est ante Philippum quaeque legimus ap. Aesch. l. l. Nullius rei mentionem facit, nisi quod iterum iterumque repetit, se studuisse civibus ex captivitate liberandis, multosque horum de suo redemisse. vide eum π. παραπρ. p. 394 sq. cfr. or. de Halonn. p. 80 fin.

non accepisse gloriatur π. παραπρ. p. 394. 405); captos se sine pretio redditurum esse pollicetur festis diebus Panathenaeis (181), opinor, ut cum religionem quandam muneri suo liberali insereret, tum, sicut vir erat omni vita et victu expolitus, ut ipsorum Atheniensium solemnibus attentissimum se praeberet, cum praesertim magna tunc celebrarentur Panathenaea. Habemus enim haecce Panathenaea anni tertii Ol. 108 Archonte Archia; tertio autem quoque Olympiadum anno magna fuisse Panathenaea, ex Lysia constat (182), eaque mense Hecatombaeone celebrata, die huius 28 verosimillime (183), ita ut minus duo menses liberationi captivorum intercederent.

Porro de singulis qui ad pacem foedusque pertinerent accuratius a Philippo constitutum est, a legatis Atheniensibus confirmatum, si alii ad recuperandas illas olim Atheniensium possessiones adiuvare vellent, ut ipsi Athenienses hos arcerent hostesque haberent (Dem. π. παραπρ. p. 385.). Concedendum nempe id erat ab Atheniensibus, si foedus inire vellent. Phocenses, Haleenses, Cersobleptes extra foedus pactaque declarati sunt. Nimirum Phocenses non exceptum iri a rege iam Antipater Athenis dixerat; Halus oppidum Thessaliae tum aut oppugnabatur a Philippo aut iam erat expugnata; Cersobleptes victus iam 25 Elaphebolion. in imperium quidem restitutus, tamen a Philippo pendebat, eiusque filius etiamtunc obses Pellae apud Philippum a legatis conspectus erat. (184) Amphipolis nominatim Philippo ab Atheniensibus concessa in pactis scribitur. (185) Cardiani,

---

(181) Demosthenes l. c. hoc Philippi promissum cum pecunia legatis donata conserens aperte mentitur.

(182) Lys. ἀπολ. δωροδ. p. 698. vide Boeckh. Oecon. Ath. II. p. 165. Erant etiam eadem solemniora ex alia re quam tradit Thucyd. V. c. 47: veniebant enim ex pacto legati Argo Elide Mantinea tempore magnorum Panathenaeorum Athenas, ut denuo his festis diebus pacis foederisque inter ipsos et Athenienses sacramentum dando et accipiendo renovarent.

(183) vid. Corsini F. A. tom. II. p. 357. Sequor enim Boeckhium l. l. II. p. 167 censentem, minora Panathenaea procul dubio iis annis non celebrata esse quibus magna essent. Quare non vexat nos hoc loco controversia, num minora eodem mense Hecatomb. (id quod volunt Petitus legg. Att. p. 87-92 ed. Wess. Corsin. l. l. cui assentitur Boeckhius l. l. cf. Corp. Inscr. I. p. 117. O. Müller: quo anni tempore Panathenaea minora celebrata sint, in philol. Mus. II. p. 227-235.) an mense Thargelione acta sint (Meursius et Clinton F. H. II. p. 332-335.). (184) A. πρεσβ. p. 33 fin.

(185) de Halonn. p. 82. 83. cf. epist. Phil. p. 165.

qui, cum Cersobleptes Chersonesum Thracicam Atheniensibus permitteret, Atheniensium esse pertinaciter noluerant contendentes, non pertinere urbem suam ad Chersonesum, quique iam antea fuerant sociati Philippo ([186]), pactis adscripti et extra Chersonesitas ceteros declarati. ([187]) Chersonesus Atheniensium manebat. ([188]) Non sub aliis conditionibus pax legatis Atheniensibus impetrari potuit. Iussi enim quae utilia esse possent facere, statum reipublicae magnumque civium pacis studium non ignorantes, cum Philippus in illis conditionibus perseveraret, ipsi pacem sibi non impediendam esse arbitrati in his substiterunt. Neque alienae hae conditiones atque inopinatae videri tum poterant. Namque ex lege illa pacis, ut haberet Philippus quae teneret, Amphipolis (tenebat hanc urbem Philippus inde ab a. 358. Ol. 105. 3. vid. Diod. XVI. 8.) publicis actis regi concessa est; quamquam Philocrati id ipsum decretum postea vehementer crimini datum, nimirum cum pax turpissima haberetur. Porro foedus sancitum est; nam exoptatissimum hoc fuerat inde ab initio cum de pace agebatur tum Philippo tum Atheniensibus, foedusque ineundum in altera concione actum erat. Unde fieri debebat, ut eosdem hostes haberent et Philippus et Athenienses.

Imprimis de Phocensibus posthac querelae exstiterunt legatis. At quid tum faciendum erat Atheniensibus? Res Phocensium lapsae erant. Opes templi Delphici disparuerant mercenariis magno pretio conductis; per decem annos bellum saevierat; factiones et seditiones emergebant ([189]): desiderabant otium ac quietem. Circum Themistoclis Archontis annum ineuntem (Ol. 108. 2), sive media aestate a. 347, legati Phocensium Athenas profecti auxilio populum vocarunt polliciti, Alponum et Thronium et Nicaeam, quae oppida aditum Pylarum tuebantur, iis traditum iri. Proxenus, Atheniensium dux, cum a populo iussus illa occupare hanc ob rem Callicratem et Metagenem legatos misisset, qui de tradendis his oppidis cum Phocensibus agerent: hi, legatis suis qui haec promiserant in carcerem ductis, non magis oppida tradiderunt, quam ipsos caduceatores, qui

---

([186]) ep. Phil. p. 161.

([187]) Dem. π. παραπρ. p. 396. init. de pace p. 63. ([188]) Dem. π. παραπρ. p. 365 fin.

([189]) Diodorus XVI. 59 manca de his tradidit, unde rem perspicere non valeas. Accurata igitur huius loci expositione meritus est Flathe in hist. Maced. q. v.

sacras inducias mysteriis celebrandis pronuntiabant, audiverunt. Neque Lacedaemoniis ea permiserunt, qui auxilio a Phocensibus vocati mille hastatos rege Archidamo duce ad tuenda illa paratos habebant (190). Fuerant haec, cum Eleusinia mysteria inter dd. 15 et 24 Boedromionis mensis celebrabantur, sex et semis mensibus ante quam legati alteram legationem susceperunt. Inde Athenienses pacem cum Philippo agentes Phocensibus adiuvandis abstinebant, ne pertinaces socii viderentur sacrilegorum (191); quin etiam cesserant Antipatro tum profitenti, Philippum Phocenses foedere non excepturum esse Thebanorum gratia ac Thessalorum. Non igitur soli Atheniensium in Macedoniam legati sed etiam omnes Athenienses confidenter exspectabant, Philippum superbiam Thebanorum contusurum esse. Inde inimicitiae legatorum Atheniensium et Thebanorum imprimis Aeschinis in Macedonia verbis invicem augeri, ipsique Lacedaemoniorum legati verbis ibi in Thebanos invecti publice altercari ac minari (192). Dum haec geruntur, rex Philippus, quum legati ex omnibus fere Graeciae civitatibus Pellam convenissent, diu haesitans, quam ex his civitatibus arctius sibi coniungere expediret, nulli cedens, suam auctoritatem tenens atque amplificans, quiete exspectat, quem exitum haberent hae, quas legati publice ferebant, civitatum inimicitiae et altercationes. Itaque nec potuit illico res plane decidere nec debebat. Inde maxima regis comitas ac clementia erga Atheniensium legatos publice praelata, ut videret, quales Thebani se gererent; inde occulta regis indicia, quanto plus etiam beneficiorum Atheniensibus tribuere vellet; inde perspicere licet, cur iusiurandum produxerit, cur legatos Atheniensium diutius retinuerit: scilicet amicitiam suam cum Atheniensibus ostentare voluit, id quoque, opinor, studens, ut Phocenses cuiusvis civitatis auxilii spe privati minus acriter sibi resisterent. Nec frustra: legati Thebanorum postremo confusi timidique visi sunt (Aesch. π. πρεσβ. p. 46. 12), Euboeenses vehementer laborabant suspicantes fore ut rex Amphipoli ab Atheniensibus concessa Euboeam insulam iis traderet (Aesch. l. l. p. 44 in. Dem. π. παραπρ. p. 348 in.). Soli Thessali fiduciam

(190) Aesch. περὶ πρεσβ. p. 45. 23 sqq. usque ad p. 46. 3. cf. Diod. XVI. 59. Pausan. III. 10. cf. IV. 28.

(191) Athenienses culpam in se admiserant, quod non abstinuerant Delphici templi opibus; etenim mercenariis auxilio missis in Phocidem stipendium praeter consuetudinem magnum acceperunt. Diod. XVI. 57. (192) Aesch. περὶ πρεσβ. p. 46. 7 sqq.

habebant rebus consiliisque Philippi, qui plane praedicerent, expeditionem regis sibi emolumento futuram esse (Aesch. l. l.).

§. 11.

Itaque Philippus foedere icto, ut eosdem haberet hostes populus Atheniensium, sacramentum in manus legatorum dedit, non urbe sua capitali Pellae, sed cum iam exercitu in Thessaliam advenisset, Pheris, eas ob causas quas modo dixi. Regressi sunt legati Athenas 13 Scirophorionis ([193]) (11. d. Iunii). Demosthenes, sicut hoc anno erat senator, in curia ad senatum 14 aut 15 Scirophor. de legatione referens suasit, ut rebus quae essent relicuae providerent, ne promissis allecti in discrimen res darent. Probavit senatus. Deinde 16 Sciroph. concio habetur. Tunc Thermopylae iam in potestate Philippi erant. Athenienses primo quidem indignati, quod rex adeo appropinquasset, mox tamen promissis regis atque exspectationibus quas Aeschines pronuntiavit auditis, magno gaudio maximaque spe erecti Demosthenem, quem anxie monentem cum Philocrates sale nigro cavillaretur ([194]), deriserunt. Erant vero quae ut laetissima Aeschines se exspectare in concione professus est fere haec: Philippum bellum Phocicum finiturum esse incommodo Thebanorum, Thespias Plataeasque ab his dirutas exstructurum; eundem aliis rebus populo Atheniensium benevolum se praebiturum. Tradidit porro illa, quae adversus Thebanorum legatos Pellae disputasset ([195]), quaeque Cleochares Chalcidensis timuisset; talia dixit, quae quidem perfectum iri ex legatione habituque Philippi bono animo publice pronuntiare poterat Aeschines. Deinde epistola, quam Philippus legatis dederat, in ecclesia publice legebatur, in qua scripsit rex, sese sacramentum in manus legatorum Atheniensium

([193]) Haec et sequentia colligas ex orationibus de hac legatione habitis, Dem. p. 346 sqq. 375 in. 409 med. Aesch. p. 73 sqq. cf. Dem. de cor. p. 237 sq.

([194]) Dem. π. παραπρ. p. 348 med. 355 fin. II Phil. p. 73 in.

([195]) Dem. ll. cc.; de pace p. 59. II Phil. p. 73. Quae Demosthenes Aeschini ignominiae vertit π. παραπρ. p. 364. 18; 380; 347. 25; 351. Vide tamen Weiskium II. p. 23: „Sic Thebanorum decreto praemium Aeschinis occisori propositum esse iactatur ab ipso Aeschine, teste Demosthene. Quid igitur? an putabimus Aeschinis nomen in illo decreto fuisse? Immo inerat, si quid video, condemnatio tantum eorum, qui Phocenses sacrilegos iuvarent; illud autem hoc consilio praedicabatur ab Aeschine, ut pro iis apud Macedonem intercessisse videretur."

iurasse. Etiam sociorum suorum qui adfuissent nomina scripsit, et ipsorum et civitatum eorum; qui post venissent, eos se Athenas missurum esse promisit ([196]). Deinde ipsos legatos excusavit, quod diutius Athenis abfuissent, ipsum se eos moratum, ut reconciliarent sibi Pharsalios Haleensesque ([197]). Addidit, se liberos reddere captivos Athenienses, quin ne cogitasse quidem pretio venditare (Dem. π. παραπρ. p. 353.). Quae cum ita essent, animis Atheniensium gaudio ac spe plenis, Philocrates decretum scripsit, ut pax cum Philippo rege inita foedusque etiam posteris sanctum maneret ([198]); ut laudes Philippo tribuerentur pollicito se facturum, quae aequa iustaque essent; denique, nisi quae deberent Phocenses fecissent, nec templum Amphictyonibus restituissent, ut populus Atheniensium contra eos auxilio veniret.

Philippus cum iam intra Thermopylas esset, pertentaturus animos Atheniensium, penitusque perscrutaturus, num certam fidem sibi haberent, litteris missis invitat, ut cum exercitu iis, qui ius peterent, auxilio venirent. Ii tamen, qui consiliis regis diffidebant, impediverunt hunc metum perhibentes, ne rex milites missos ut obsides retineret. Factum id est ante 23 Scirophor., Thebanis metu plenis cum toto exercitu egressis, antequam cum Phalaeco Philippus ad conditiones descenderat (Aesch. π. πρεσβ. p. 46. 17 et 23). Rex deinde Atheniensium diffidentia sui cognita, ex pacto oppida Phocensium Alponum, Nicaeam aliaque, dato libero receptu, a Phalaeco duce accepit ([199]), 23 Sciroph.

§. 12.

Inter haec tamen Philocrate rogante tertia legatio ad Philippum et Amphictyonas missa est quae provideret, ut rex promissis suis staret,

---

([196]) Aesch. περὶ πρεσβ. p. 45. 11. cf. Dem. π. παραπρ. p. 391. init.

([197]) Dem. π. παραπρ. p. 352 sq. Nescio num vere Philippus a legatis iuvari voluerit; certe Haleenses postea urbe expulsos esse Demosthenes tradit l. l. p. 353 init. Atqui verum dicere Philippo non licuit, eam ob causam se eos moratum esse, quod exspectare voluisset, quem finem res legatorum habiturae essent.

([198]) Ingens odium Philocrati Aeschinique excitare studet hanc ob rem Demosthenes l. l. p. 358 fin. (cf. II Phil. p. 73), qua posteri Athenienses in aeternum a bello Macedonibus inferendo cohibiti essent; quasi Athenienses tum non versatissimi fuerint in pactis foederibusque rumpendis; id quod ipsi paucis annis post fecerunt.

([199]) Dem. π. παραπρ. p. 359 fin. Aesch. περὶ πρεσβ. p. 46. 23.

quaeque postularet, ut Phocenses templum in manus Amphictyonum restituerent ([200]). Electi sunt Aeschines, Demosthenes, Stephanus, Dercylus pluresque legatorum modo regressorum. Demosthenes autem in ipsa ecclesia illico iureiurando munus legati recusavit; suspiciebat enim iam tum Philippum. Aeschines valetudine laborans per sacramentum Execesti medici datum apud senatum legatione liberatur, pollicitus, se cum posset abiturum esse. Ceteri legati mox abierunt. Qui quum Chalcidem Euboeae advenissent, auditis regis cum Phalaeco pactis exercitusque Phocensium recessu, extemplo Athenas festinarunt. Dercylus populum, qui in Piraeeo de rebus navalibus acturus convenerat, certiorem facit, res Phocensium prorsus prostratas esse 27 Sciroph. (Demosth. π. παραπρ. p. 360 in.). Tum Athenienses terrore attoniti Callisthene rogante decretum fecerunt, ut mulieres liberique ex agris in urbem transportarentur, Piraeeus muniretur, sacra solemnia Herculis, quae in hos dies extremos Scirophorionis incidebant ([201]), intra urbem celebrarentur. Attamen decreto populi legati confestim abierunt, ut actionibus Amphictyonum, quibus res Phocensium decernendae traditae erant, adessent. Tunc Aeschines valetudine recepta, idque suo iure legationis, legatus ad Amphictyonum conventum profectus est ([202]). Advenit igitur haec legatio ad Philippum primis Hecatombaeonis diebus Ol. 108. 3 sive circum Calendas Iulias a. 346, antequam Amphictyones, quos extra ordinem convocaverat rex de rebus Phocensium iudicaturos, Thessali, Thebani, Oetaei aliique populi septentrionales, decretum fecerunt. Erant autem hi omnes in Phocenses iratissimi. Rex cum ab Atheniensibus destitutum se vidisset, invitus quidem, tamen necessitate cogente, Thebanos, qui dato mercenariis Phalaeci libero recessu perterriti precibus eum fatigabant, sibi adiunxit; nec crediderim Aeschini, etiam-

---

([200]) vid. Droysen. l. l. p. 145 et p. 151, non pylagoras quidem verum legatos ad Amphictyonas missos esse, recte dicentem; falso Ranke l. l. p. 79. Eam ob causam postea legati Amphictyonum Athenas venerunt, qui poscerent, ut Athenienses decretum Amphictyonum, quo inter hanc societatem rex receptus esset, consensu suo comprobarent. — cf. Dem. π. παραπρ. p. 378 med. Aesch. π. πρεσβ. p. 46. 37.

([201]) Corsini F. Att. diss. VIII. § 17 e Dem. π. παραπρ. p. 379. 28. — contra Maemacterione insequentis anni, ergo quinque demum mensibus post, Heraclea celebrata esse putat Weiske l. l. III. p. 20, errans, opinor.

([202]) vide haec ap. Dem. π. παραπρ. p. 368. p. 380 sq. Aesch. π. πρεσβ. p. 40. 30. Defendit Aeschinem suo iure legati munere functum Weiske l. l. II. p. 13.

tum aperto dissedisse odio a Thebanis (203). Ille gloriatur ac falsae legationis reus testes Boeotorum et Phocensium producit, suo studio consilium Oetaeorum, ut Phocenses, quotquot essent puberes, de praecipiti saxo deiicerentur, irritum factum esse (περὶ πρεσβ. p. 47 in.). Postremo id decretum factum est de Phocensibus, quod legimus apud Diodorum (204), quodque Demosthenes quidem, ut odium Philippo et Aeschini quasi auctori calamitatis conflaret, crudelissimum depingit (205). Rex ita sine labore victor lautas epulas ad victoriam celebrandam instituit, quibus aderant ab eo invitati legati Graecorum, inter hos Athenienses et Aeschines. Idem tum litteras mittit Athenas, quibus exsecutum se, quod ab Amphictyonibus in Phocenses decretum esset, nuntiasse valdeque conquestus esse videtur, quod ipsorum ratione ambigua ac diffidentia cohibitus emolumentis reipublicae minus consulere potuisset (206). Venerunt deinde, legatione Atheniensium iam regressa, Thessalorum et Philippi legati postulaturi, ut decreto facto Athenienses Philippum Amphictyonem agnoscerent. Tumultuante ecclesia Aeschines, si qua accusanti Demostheni fides, ad legatos Philippi praesentes durum istud verbum ait: multos quidem esse qui obstreperent, verum paucos qui, si opus esset, labores belli subire vellent (207). Ipse tamen Demosthenes tum praeclaram illam ac gravem orationem de pace habuit mense Boedromione (s. fin. fere m. Augusti), in qua non ignorans singularum Graeciae civitatum invidiam in Athenienses, ac cavens ne, suam quaque indignationem sequente, decreto Amphictyonum praetexto, commune omnium bellum Atheniensibus inferretur, suasit ut postulato cederent, et ut ne de umbra Delphica certarent (208). Atque id placuit. Philippus deinde, postquam ipse Pythios ludos instituit

---

(203) Aesch. l. c. p. 46. 40. cf. Weiske l. l. II. p. 21.

(204) XVI. 60. vide eius epitomatorem Plethonem 2. 16: περιελεῖν δ' αὐτῶν καὶ τριῶν τῶν ἐπικαιροτάτων πόλεων τὰ τείχη καὶ κατασκάψαντας cet.

(205) Dem. π. παραπρ. p. 445 fin. 361. 366. 375. de cor. p. 237 et alibi. cf. Paus. X. 3. Tamen vide Weiske I. p. 29. n. 68, cui assentitur Goeller l. l. p. 19.

(206) Dem. de cor. p. 239. vide de hac epist. Droysen. l. l. p. 152 sq.

(207) Dem. π. παραπρ. p. 375. Isocratem aut Phocionem in his verbis Aeschinis te audire existimes.

(208) Dem. de pace p. 61-63 fin. — Non repugnare sibi Demosthenem in hac oratione pacem suadentem, idemque Aeschini exprobrantem docet Weiske l. l. II. p. 39.

fere mense Boedromione ([209]) (auctumno a. 346, si vis m. Septembri), maximam gloriam assecutus pietatis erga deos in Macedoniam rediit (Diod. XVI. 60 fin.). Maiora accepit quam in ancipiti harum rerum initio sperare potuerat. Ab hoc inde tempore civitates Graecae singulae ei resistere valebant nullae; coniunctionem vero prohibebat invidia. Iterum Thebanis auctis (Orchomenos enim et Coronea urbes Boeoticae a Philippo iis traditae erant. Dem. Phil. II. p. 69), inde non iam opus erat eorum auxilio, quare odium diu retentum mox in eos superbientes irruit. Athenienses sibi conciliatos rex obtinere studebat; at frustra, cum pars oratorum populum irritaret ac stimularet, omnia eius consilia e perfidia atque insidiis prodire declarantium. Inde insidiae ab Atheniensibus Philippo paratae, inde simultates eorum cum rege exercitae, inde per legatos missos Peloponnesiarum civitatum concitationes, quas imprimis Demostheni obiurgat Polybius ipse Peloponnesius ([210]), idemque ipse patriae amantissimus. Afferamus ex his nosmet, cum praecipua pars rerum Aeschinis tribus illis quas modo narravimus legationibus contineatur, in rerum progressu ea tantum, quae speciatim ad illum pertinere videntur; de ceteris quae praeterimus libros, qui de historia continua horum temporum multi exstant, inspicere licet ([211]).

§. 13.

Ab his igitur temporibus qui dudum oratores Athenis in binas illas partes abierant, tunc cum maxime suam utrique rationem persequi non du-

---

([209]) Droysenus l. l. p. 146. Vide Clinton. F. H. appendicem de Pythiis p. 208 sqq. ed. Kr., qui, refutatis Petavio Dodwello Petito, Pythia secundo quoque Olympiadis anno celebrata esse statuentibus, assensus Scaligero et Meursio ea tertio assignat. Idem hoc diligentius demonstravit Boeckhius ad Pindar. II. 2. p. 206 sqq. — Tempestatem vero celebratorum Pythiorum Clinton statuit auctumnum, secundum aut tertium mensem tertii cuiusque Olympiadis anni (Metagitn. aut Boedrom.) coniiciens, quem a Boeckhio vere Pythiorum ludicra acta esse probante (Corp. Inscr. I. p. 812 sqq.) defendit Krueger. ad Clint. p. 214. n. 1.

([210]) Polyb. XVII. 14. cf. IX. 28. 5. V. 10. — Goeller l. l. p. 30 Polybium refellere studet, frustra. A. G. Becker in litterat. Dem. Polybii hanc sententiam dolet; ridicule.

([211]) Flathe hist. Maced. (Lips. 1832); Brückner. de rege Philippo (Gotting. 1834); Winiewski l. l. passim; Ranke vitam Dem. (Encyclop. Hal. inde a p. 80 sqq.); Clinton F. H. et tabulas et appendicem de Dem. Imprimis Goeller (Progr. Colon. 1823) de reb. post pacem Philocrateam gestis usque ad bellum Amphissense Ol. CVIII. 2 - Ol. CX. 1; quem maximam partem secutus est Voemel in proleg. ad orat. de pace.

bitarunt. Aeschines, quique cum eo consentiunt, in sua, quam inde a pace recepta conceperant, sententia perstant, regem invitum, tamen necessitati cedentem ea egisse quae egerit; fore ut diffideret Thebanis; Elateam Phocensium munire eum moliri ([212]); id quod postea perfecit. Demosthenes pro sua regis diffidentia simultatibus Peloponnesiarum civitatum se immiscet, idemque Euboeae insulae ([213]); et regem suspectum facit iis, quae Philippum iam, ut se ab insidiis Lacedaemoniorum defenderet, rogaverant. Contra eum tunc altera oratione Philippica Athenienses hortatus esse dicitur, Ol. 109, 1 auctore Dionysio.

Tradit Libanius in argumento huius orationis ex sua sententia, habitam eam esse, postquam legati tum a Philippo tum ab Argivis et Messeniis Athenas convenissent, illi conquesturi, quod Athenienses suspectum facerent regem, hi, quod Lacedaemoniis Peloponnesiorum imperium appetentibus suppeditarent. Ex sua sententia dico Libanium id tradidisse propter verba orat. p. 72: *ἃ δὲ νῦν ἀποκρινάμενοι τὰ δέοντ' ἂν εἴητ' ἐψηφισμένοι, ταῦτ' ἤδη λέξω.* Recentiores etiam Pythonem volunt principem huius a Philippo missae legationis ([214]). Perhibet quidem in hac orator ea, quae Philippus adiuvandi causa Messenios Argivosque in Peloponneso gesserat; at de legatis Philippi eiusque querimoniis ne verbum quidem, id quod praetermittere non licuit. Sunt qui mutilam hanc orationem ad nos pervenisse putent, vel qui in duas partes dividere velint ([215]). Incipit enim a media p. 72, argumentatione abrupta, novum aliquod, invectio in legatos Athenienses, collegas Demosthenis in altera ad regem facta legatione. Goeller (l. l. p. 32) legatis tantum Messeniorum Argivorumque conquerentibus hac altera Philippica responderi vult Dionysii verba secutus (ep. ad Amm. p. 737): *διέθετο πρὸς τὰς ἐκ Πελοποννήσου πρεσβείας*; recte, ut mihi quidem videtur. Potentiam enim Philippi Peloponnesios contra Lace-

---

([212]) Dem. II Philipp. p. 69. med.

([213]) Dem. *π. παραπρ.* p. 404. 409. 445. 448. 367 sq. III Phil. p. 117. p. 125 sqq. de Cherson. p. 99. vide Winiewski p. 165 sqq.

([214]) Winiewski p. 137 sqq. ex verbis Dem. de cor. p. 272: *ὅτε γὰρ Πύθωνα Φίλιππος ἔπεμψε τὸν Βυζάντιον κ. τ. λ.* Ranke vit. Dem. p. 99. Zimmermann l. l. p. 82.

([215]) Rauchenstein in Jahnii annal. 1829. XI. 2. p. 144 sqq. disputans adversus Voemel. qui scripsit: integram esse Dem. Phil. II apparet ex dispositione. Frncf. 1828. 4. nunc proleg. ad Phil. II.

daemonios adiuvantis crescere, anxia cura Athenis intelligitur. Multa tum de hac re in ecclesiis aguntur: deceptos se esse rati Athenienses deliberant, quomodo statum suum corrigere possint (p. 66 fin.). Sunt qui regem quae promisisset exsecuturum esse dictitent (p. 69. p. 73 in.), quique machinationes Philippi non in Athenienses fieri sibi persuasum habeant (p. 67 in.). Conatur Demosthenes demonstrare, Philippum hostem se semper Atheniensium reipublicae praebere; quam ob causam singula quae hostilia inde a pace facta gesserit, orator enumerat (p. 67-69 fin.); eumque propter studium dominationis Atheniensium reipublicae adversarium esse oportere explicat (p. 70). Deinde tradit, quae coram Messeniis locutus sit (p. 71), privatim, opinor, eo profectus, non publice legatus ([216]). Sub finem denique, sermonis filo abrupto, iustum declarat, omnes, qui promissa pacis a Philippo Athenas attulissent, in ius vocari, imprimis eos, qui ex altera legatione regressi se suspicionem Philippi pronuntiaturum cavillationibus impedivissent (p. 73 in.). Haec verba in Philocratem et Aeschinem planissime dicta sunt prima, quibus populum stimulat, ut illi in ius vocentur. Procul a se removere studet ea, quae mala reipublicae e pace evenire possint. Finem facit his: Ταῦτ᾽ οὖν, ὡς μὲν ὑπομνῆσαι, νῦν ἱκανῶς εἴρηται· ὡς δ᾽ ἂν ἐξετασθείη μάλιστ᾽ ἀκριβῶς, μὴ γένοιτο, ὦ πάντες θεοί. οὐδένα γὰρ βουλοίμην ἂν ἔγωγε, οὐδ᾽ εἰ δίκαιός ἐστ᾽ ἀπολωλέναι, μετὰ τοῦ πάντων κινδύνου καὶ τῆς ζημίας δίκην ὑποσχεῖν. Ex his omnibus patere mihi videtur, hanc orationem ante Timarcheam Aeschinis habitam esse: quasi exordium facit enim rixarum ac controversiarum, quas adversarii demagogi invicem instituunt.

Per totam orationem Philippi intra Peloponnesum machinationes potius memorantur quam facinora. Hae, simultatibus civitatum Peloponnesiacarum iam dudum stantibus, totum ver fortasse expleverunt. Mercenarios ac pecuniam eo misit rex, ipse cum magno exercitu ibi exspectatur (p. 69 fin.). Nusquam legimus, regem tunc in Peloponnesum degres-

([216]) Contra Winiewski p. 137 sq. Ranke p. 80. Zimmermann p. 81. — At illa si fuisset legatio publica, Demosthenes gravioribus verbis usus esset quam his (p. 70 fin.): — παραδείγματ᾽ ἔστιν ἰδεῖν, ἃ καὶ πρὸς Μεσσηνίους καὶ πρὸς Ἀργείους ἔμοιγ᾽ εἰπεῖν συνέβη. nec repugnant mihi verba p. 72 in.: Ταῦτ᾽ ἀκούσαντες ἐκεῖνοι καὶ θορυβοῦντες ὡς ὀρθῶς λέγεται, καὶ πολλοὺς ἑτέρους λόγους (καὶ) παρὰ τῶν πρέσβεων καὶ παρόντος ἐμοῦ καὶ πάλιν ὕστερον, ὡς ἔοικεν, οὐδὲν μᾶλλον ἀποσχήσονται τῆς Φιλίππου φιλίας οὐδ᾽ ὧν ἐπαγγέλλεται.

sum esse, Illyrica opinor, quam subito media fere aestate suscepit expeditione impeditum (217). Venerunt paulo ante hanc Athenas legati illi Peloponnesii conquesturi, Athenienses studio Lacedaemoniorum ipsis male consulere; tum Demosthenes hanc orationem habuit, qua ad nova consilia populum excitat; simulque eos urget qui pacem foedusque cum rege factum conservari volunt.

§. 14.

Annus hic Lycisci Ol. 109. 1 et sequens Pythodoti 109. 2 causis tum publicis tum privatis absumpti sunt. Altera illa Demosthenis Philippica

(217) Demosthenes (p.71) quidem decemviratum a Philippo in Thessalia institutum dicit, eumque vectigalia Thessalis demisse. Voemel proleg. ad h. l. (assentitur ei Ranke p.81.) orationem hanc ob causam post et Illyricam et Thessalicam regis expeditionem ponit, refutans Winiewskium post Illyricam quidem, verum ante Thessalicam collocantem (p.146.). Examinemus igitur, quo tempore anni, quem tradit Dionysius, Lycisci 109.1. habita sit, a quo anno non est cur discedendum putemus. Diodorus (XVI. 69 fin.) narrat et anno Lycisci ($34\frac{4}{3}$) assignat, Philippum magno cum exercitu Illyriam ingressum vastasse, multa oppida cepisse, magnaque praeda facta in Macedoniam regressum esse. *Μετὰ δὲ ταῦτα*, pergit, *παρελθὼν εἰς τὴν Θετταλίαν καὶ τοὺς τυράννους ἐκ τῶν πόλεων ἐκβαλὼν ἰδίους ταῖς εὐνοίαις ἐποιήσατο τοὺς Θετταλούς.* Arbitror Demostheni, si iam tum Illyriam adortus esset Philippus, id nequaquam praetermittendum fuisse, cum potentiam eius gliscentem depingeret; ideoque ante hanc Illyricam expeditionem oratio habita esse mihi videtur, ergo etiam ante illam, quam narrat Diodorus, Thessalicam. Neque hanc a Demosthene (p.71) significatam esse censeo, sed aliam paulo prius gestam; vel ut planius dicam, aliam esse illam post Illyrica expeditionem, eamque quam spectat Demosthenes in orat. III. Philipp. p.117, aliam quae est in altera Philippica adumbrata. Illam gerens Philippus tetrarchiam in Thessalia instituit, postquam anno fere ante decemviratum collocavit; namque constat, multifariam tum rebus Thessalicis se immiscuisse regem; et coniicere licet, eum rebus nescio quibus coactum esse brevi tempore instituta mutare. Quae cum ita statuamus, vocabulum illud *τετραρχία* non adeo nos urgebit, quod Schaeferum aliosque huius loci interpretes valde cruciasse video. Quae in orat. de Halonn. p.84 memoratur, eadem Diodori, eademque tertiae Philippicae esse videtur. p.84: *Φεραίων μὲν ἀφῄρηται τὴν πόλιν καὶ φρουρὰν ἐν τῇ ἀκροπόλει κατέστησεν, ἵνα δὴ αὐτόνομοι ὦσιν* (ironice); p.113: *καὶ μὴν καὶ Φερὰς πρῴην ... εἰς Θετταλίαν ἐλθὼν ἔχει καταλαβών.* vid. Weiske III. p.38. — Statuamus igitur sic: Eubuli anno, nescio quo anni tempore, rex instituit in Thessalia decadarchiam; anno hoc exeunte sive vere a. 344 machinationes Philippi in Peloponneso: eo mercenarios mittit. Sequitur annus Lycisci Ol. 109.1: primis mensibus, malim ipso primo, Demosthenis altera Philipp., paulo post expeditio Illyrica (certo Philippus recens inter Amphictyonas receptus post ludos Olympicos demum celebratos bellum intulit), quam fortasse sub hiemis initium (s. fin. a. 344) finivit. Deinde altero anni dimidio, priore a. 343 Thessalicas res componit, tyrannos expellit, tetrarchiam instituit, postquam cum Atheniensibus iam de pace corrigenda agi coeptum est.

Atheniensibus, regem reipublicae insidiari, iam persuasum esse videtur. Intestinae turbae exstiterunt. Acerrimo odio Demosthenica factio adversariam persequitur. Odium autem omnium Atheniensium in Philocratem vertitur, auctorem pacis, quae tum iam turpissima iis videbatur Demosthene sociisque instigantibus. At non tam eam ob causam aucta quidem inde erat invidia, quam quod homo erat sceleratissimus inque omnibus vitae rebus nequissimus, quique in conspectu omnium ad foedissima quaeque divitias adhibebat, quas, ut erat avarissimus lucrique cupidissimus, omnimodo augebat. Accessit, quod hoc tempore auctoritas ac potentia Philippi in Peloponneso, Euboea, Thessalia, Thracia in dies gliscebat. Hyperides Philocratem in ius vocavit, Timarchus Aeschinem petiit. Demosthenes utrique accusatori patrocinatur. Qui cum causa Philocrati constistituta esset, ait: mirari se, quod unum Philocratem tot tantorumque criminum noxium haberent, novem illos reliquos omni culpa vacuos esse rati; neque id ita se habere posse, cum ille nuspiam solus suaque sponte egisset reliquis praetermissis ([218]). Reus ultro exulabat; absens condemnatus est, malim eas ob causas quas modo dixi, quam quod corruptionis convictus esset ([219]). Nescio enim equidem, quorum gratia rex corrumpere debuerit, cum nempe pax ab omnibus illo tempore desiderata, eadem tunc ut diutius ac continuo permaneret certe a magna amplissimorum ac divitum parte Atheniensium optaretur. Nec tamen ex his unus exstitit Philocrati defensor. Adeo odium in se coniecerat Philocrates omnium, ut anno fere

---

([218]) Locos de Philocrate praecipuos habes Aesch. π. πρεσβ. p.29.1 sq. p.30.29. in Ctesiph. pag. 65 tota. Dem. π. παραπρ. p.375 - 377 sq. p. 405 med. 417 fin. 440. de Halonn. p.82 sq. Dinarch. adv. Dem. p.94. § 29: οὗτος (Dem.) Φιλοκράτει συνεκοινολογεῖτο τῷ γράψαντι πρὸς Φίλιππον εἰρήνην, δι' ἣν ὑμεῖς ἐκεῖνον ἐξεβάλετε.

([219]) Confirmat me ipsius Demosthenis locus π. παραπρ. p.375 fin. εἰ δὲ Φιλοκράτης μὴ μόνον ὡμολόγει παρ' ὑμῖν ἐν τῷ δήμῳ πολλάκις, ἀλλὰ καὶ ἐδείκνυεν ὑμῖν πυροπωλῶν, οἰκοδομῶν, βαδιεῖσθαι φάσκων, κἂν μὴ χειροτονῆτε ὑμεῖς, ξυληγῶν, τὸ χρυσίον καταλλαττόμενος φανερῶς ἐπὶ ταῖς τραπέζαις, οὐκ ἔνι δήπου τοῦτον εἰπεῖν ὡς οὐκ εἴληφε, τὸν αὐτὸν ὡμολογοῦντα καὶ δεικνύντα. Ergo iterum coniectum modo ex sententia Demosthenis accusantis. Verba Weiskii II. p. 13: „Ipse Philocrates fingitur confessus pecuniam sibi rediisse e legatione a se administrata, verbis ambigue mutatis et corruptionis suspicione inde petita, quod ille dona se hospitalia, pariter atque collegas, accepisse a rege fatebatur." haec nescio an recte, quod malim, ad meam sententiam assumere mihi liceat.

post Demosthenes publice perversissimum atque impudentissimum hominem omnes ad unum Philocratem nominaturos esse diceret.

Turpius evenit Timarcho, quantumvis Demosthenes ei patroninabatur. Timarchus enim, homo quem libidinis infamiaeque neque pudebat neque taedebat, tamen eo usque, ut erat vir disertus et in rebus gerendis versatus, accusatore deficiente, impunis manserat. Qui illo tempore cum alia tulit decreta tum id, qui inter bellum arma Philippo afferens deprehensus esset, ut is capite mulctaretur. Idem cum etiam in Aeschinem acriter invectus esset a Demosthene adiutus pluraque moliretur: Aeschines causa instituta ([220]) impudicitiae ac foedissimae vitae convictum iure concionandi privavit. Infamia notatus est Timarchus, eiusque nomen in proverbium abiit cuiusvis impudici ([221]). Quantopere Demosthenes laboraverit, ut Aeschines hac causa caderet, et ex postrema orationis Aeschineae parte intelligi potest et e verbis ipsius Demosthenis *περὶ παραπρεσβείας* orantis, imprimis initio orationis. Minatus erat Demosthenes gloriose, se metum Aeschini iniecturum esse, orationibus, quas in ecclesiis habuisset, et pace, quae per eum et Philocratem confecta esset, exprobatis, ut tum, cum ratio de legatione altera ei reddenda esset, attonitus de ipsa salute ac vita periclitaretur (Aesch. adv. Tim. p. 24. 41). Quare, cum praesertim Timarchus causam perdidisset, mox ipse Demosthenes novam male gestae legationis indeque proditae e Philippi corruptione patriae Aeschini instituit.

Quo tempore anni utraque causa acta sit, non ausim equidem accuratius indicare ([222]); nec certum mihi est, utra altera prior sit. Fa-

---

([220]) Clinton F. H. eam Eubuli anno assignat, item Franke in proleg. p. XXXIX.; Winiewski p. 53 Ol. 108 ann. 3 aut 4. Brückner Ol. 108. 4 aut 109. 1. Apparet, nonnisi post II Philippicam habitam esse, ex iis quae supra narravimus.

([221]) vid. argum. hui. orat.: *οὕτω δὲ περιβόητον τὸ πρᾶγμα ἐγένετο, ὥστε ἀπὸ τῆς κρίσεως ταύτης τοὺς πόρνους τὸ λοιπὸν ἐκάλουν Τιμάρχους· τὸ δὲ προοίμιόν ἐστι τραγικώτερον.* — Pseudo-Plut., Phot. c. 264, Ulpian. argum. ad Dem. *π. παραπρ.* Tzetzes in Chiliad. VI. 58; auctor prioris argumenti: *ἔνιοι μὲν οὖν φασίν, ὡς ἀπήγξατο ὁ Τίμαρχος τὴν κρίσιν οὐχ ὑπομείνας· οἱ δέ, ὅτι ἁλοὺς ἠτιμώθη, ὡς Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ παραπρεσβείας.* Atque recte Weiske II. p. 17: si suspendio vitae finem fecisset, non praetermisisset Demosthenes.

([222]) Dionysia minora sive agrestia memorantur verbis his: *ὥστε πρώην ἐν τοῖς κατ᾽ ἀγροὺς Διονυσίοις κωμῳδῶν ὄντων ἐν Κολυττῷ, καὶ Παρμένοντος τοῦ κωμικοῦ ὑποκριτοῦ κ. τ. λ.* (p. 22. 26.). Celebrantur haec mense Posideone (vid. Hermann. Antiq. Gr. p. 349), quae si sint anni Ly-

mosissima erat haec causa Timarchea; atque Aeschines non paucos offendebat. Praeter Demosthenem ducem nescio quem insignem, ut videtur, habebat adversarii patronum (p. 18. 34); adversarius acerrimus, nisi potius iam antea fuit, inde ei éxstitit Hegesippus, orator praeclarissimus, frater Hegesandri neque ipsius artis dicendi expertis inque rebus publicis administrandis non versati, quem vehementer verbis insecutus est (p. 15. 35 sq. 22. 8). Ipsum Hegesippum hoc et sequenti anno multa publice adversus Philippum egisse, patet e Dem. π. παραπρ. p. 447. cf. 364. III Phil. p. 129, eundem cui cum veteres tum recentiores orationem de Halonneso habitam Ol. 109. 2 assignarunt ([223]). Quod cum extra dubium nobis stet, idem circum hoc tempus Callippum Paeaniensem accusavit, quod contra leges decretum fecisset, ut Cardia ad Atticam terram ne pertineret (de Halonn. p. 87).

Dum hae causae forenses in urbe aguntur, Athenienses simul externas res spectant. Diopithes cum colonis Atheniensibus in Hellespontum profectus est ([224]), ubi mox ei cum civitatibus Philippo sociatis simultates exsistunt. Philippus cum Athenienses multifarie sibi et factis et verbis resistere vidisset, tamen amicitiam reipublicae obtinere studuit. Python legatus eius Athenis regis nomine conqueritur, ipsos Athenienses regem, ne prae omnibus Graecis amicos sibi faceret, impedire; indignatum esse regem, quod eos, qui illi maledicerent, cum approbatione fere omnium au-

---

cisci, versus finem fere huius anni, sive priore dimidio a. 343 habita, si Eubuli anni (cum post Philipp. II habita nobis visa sit), fere initio Lycisci anni sive medio a. 344. At nihil his tribuo, cum verbum πρῴην pro oratorum more licentius, ut latinum nuper, in novissima Dionysia referri non sit necesse. — Obiter hoc loco aliud et a causa hac alienum notemus. Misgolas, cui idem atque Aeschini aetatis annus esse dicitur (p. 7. 38.) quadragesimus quintus, maior natu erat Timarcho (p. 6. 38.). Timarchus autem senator erat Archonte Nicophemo Ol. 104. 4 (a. 361) (p. 15. 28.). Ergo et Aeschines et Misgolas hoc anno ad summum nati erant 28 annos, ac Timarchus paullo minor natu. Igitur aliud exemplum senatorum triginta annis inferiorum hunc Timarchum addo Hermannianis Antiq. Gr. § 148. n. 6, qui, cum Boeckhius (de archont. pseudepon. p. 132.) et Meierus (Att. Procefs p. 132) aetatem senatoriam et iudicialem coniecerint tricenariam, Andocidem ducem ad Samum 28 annos natum exhibet.

([223]) Jacobs oratt. publ. p. 378. Vide libros cit. apud Ranke in vita Dem. (Encycl. Hal. p. 100.).

([224]) Iam ibi erat anno Pythodoti Ol. 109. 2. vid. Dionys. Din. p. 666: Διοπείθους ἔτι περὶ Ἑλλήσποντον τοῦ τῶν Ἀθην. στρατηγοῦ διατρίβοντος. — ἔστι δὲ ὁ χρόνος κατὰ Πυθόδοτον ἄρχοντα, ὡς δηλοῖ Φιλόχορος.

dirent. Ne porro pacem reprehenderent, in qua si quid non esset aptum corrigerent; ne dictis maledicentium oratorum obedirent. Tum postulata ad Philippum ridicule superbissima atque arrogantissima data: ut Amphipolim redderet, item Halonnesum, quae ipsorum fuisset; ut ceterae quoque Graeciae civitates, etiamsi in pacem non essent receptae, liberae suique iuris essent ([225]), ut Cersobleptes ipse ad pacem foedusque admitteretur (Dem. π. παραπρ. p. 398). Legationes hinc inde proficisci, multa de his aliisque rebus agi. Hegesippus, qui cum aliis postulata illa ad Philippum afferebat, cum accerrimus eius adversarius esset, graviter minusque comiter Pellae tractatur; quin etiam hospitem, qui illum exceperat, Xenoclidem regno expulit rex ([226]). Deinde Philippus epistola Athenas missa respondet: Amphipolim suam esse ex pacto, ut teneret quae haberet (p. 83); Halonnesum, quam piratae Sostrato eripuisset, iis se dono dare; ceteraque singula exhibet. Sensim sensimque persuasum habere Philippum oportuit, nunquam arctius sibi coniunctis Atheniensibus uti posse, priusquam clade accepta de fastigio deiecti essent. Nec profecto reprehendendus esse videtur, quod continuo irritatus paulatim maiores Atheniensium civitati parare studuit insidias. Mox Pherarum arcem occupavit et Ambraciam aggressus est (p. 84).

Cogitandum autem est, haec tum Athenis agi dissidiis factionum in dies gliscentibus. Tamen parum de iis constat. Causis privatis eos, qui ut amicissima regi respublica esset cupiebant, insectati esse videntur adversarii regis, qui iidem stimulis quibusdam civium animis studium belli inserebant. Atqui Eubulus in pace observanda strenuus silentio magis quam rumore studiosis belli resistit, et tota ea, qua, ut omni tempore populo carus acceptusque fuit, utebatur auctoritate, quamvis senescens, illis patrocinatur, qui quieti indulgebant inque ea connivebant, persuasum habens cum his, Philippum haud ita hostilia adversus populum sentire, sed potius ipsos Athenienses ab oratoribus aliquot excitatos eum lacessere. Ita-

---

([225]) Legas quae de his agit orationem de Halonneso, et epistolam Philippi orationi de ea habitae adiectam. cf. Winiewski p. 140 sq. — Droysen. p. 93 orationem de Halonn. hieme aut vere Ol. 109. 2, init. a. 342 collocat, quoniam expeditionis in Ambraciam factae, nondum tamen Thracicae mentio fieret, quam Diod. XVI. 71 anno 342 Sosigene Arch. assignavit.

([226]) Dem. π. παραπρ. p. 447. cfr. et Ulpiani schol. ad h. l. edit. Dobson. p. 131. p. 157.

que Aeschini suo, cum Demosthenes male gestae legationis reum fecisset, praesto fuit.

§. 15.

Magnae fuerunt controversiae, dictaene fuerint illae quas habemus utriusque oratoris actiones; tamen non iam sub iudice lis est, arbitror. Habitam enim esse utramque, qui recentissime hanc rem perscrutati sunt, prope omnes ni fallor consentiunt. Audiamus, qui nuper brevibus verbis usus rem evidenter demonstravit, Kayserum in ed. sua Philostrati vitarum sophistarum p. 235: ,,Orationes de falsa legatione habitas esse, non scriptas tantum, defendit adv. Plut. Dem. 15 Fr. Winiewski comment. p. 145, cui assentitur Ranke vit. Demosthenis p. 106. Franke in recensione ed. Westermann. Plut. vit. X orat. libr. menstr. Jahnii a. 1834. XII. 2. 226. Huius argumenta refellere conatus est A. G. Becker libro: Dem. u. Äsch. über die Truggesandschaft, quem breviter at sufficienter redarguit Voemel, Annal. Heidelb. a. 1835. Ut enim maledicentissimus fuerit Idomeneus, cuius testimonium contemnit Plut. l. c., tamen in hac re, quae nullum maledicentiae locum relinquebat, finxisse aliquid illum non probabile. Quae autem Aesch. dicit de f. l. p. 190. ed. R. *ἐξέστην δ' ἐμαυτοῦ καὶ τὴν αἰτίαν βαρέως ἤνεγκα, ὅϑ' ὕβριν καὶ παροινίαν εἰς γυναῖκα ἐλευϑέραν καὶ τὸ γένος 'Ολυνϑίαν κατηγόρει μου, ἤσϑην δὲ ὅτ' αὐτὸν ἐπὶ τῆς αἰτίας ὄντα ταύτης ἐξεβάλλετε*, satis ea evincunt, in iudicio publico hanc causam fuisse tractatam. Adde ibid. p. 295. ed. R. et Ulpiani scholion, quo narrat, Eubulum, quum Dem. ista proferret, clamitasse: *τοιούτων αἰσχρῶν ἀνέχεσϑε λέγοντος Δημ.*; An putemus, talia Aeschinem in oratione scripta narrasse, quae nec accidissent, nec potuissent accidere, iudicio non instituto?" (227)

Vere quidem Plutarchus l. c. c. 15 contra Idomeneum dicit: *μέμνηται γὰρ οὐδέτερος αὐτῶν* (Dem. et Aesch. in orr. de cor.) *ἐναργῶς οὐδὲ τρανῶς ἐκείνου τοῦ ἀγῶνος, ὡς ἄχρι δίκης προελϑόντος.* Verumtamen plane mentionem facit Demosthenes controversiae ac differentiae suae et illorum p. 236: *τὸ μὲν τοίνυν ἐν τῇ πρεσβείᾳ πρῶτον κλέμμα μὲν Φιλίππου, δωροδόκημα δὲ τῶν ἀδίκων τούτων ἀνϑρώπων καὶ ϑεοῖς ἐχϑρῶν τοιοῦτον ἐγένετο, ὑπὲρ οὗ καὶ τότε καὶ νῦν*

---

(227) Adsumas disquisitionem de Demostheneae eloquentiae charactere scr. J. H. Scholten (Traj. ad Rhen. 1835. 8.) p. 100. n. 3, qui Augerium sequitur editorem Demosthenis Francogallum Tom. II. 1re part. p. 11. cfr. M. A. Boullée, Paris 1834. vie de Demosthène.

καὶ ἀεὶ ὁμολογῶ πολεμεῖν καὶ διαφέρεσθαι τουτοισί. Quin etiam de bello Amphissensi disserens p. 275: ἐκεῖνο φοβοῦμαι, μὴ τῶν εἰργασμένων ἑαυτῷ κακῶν οὗτος ἐλάττων ὑποληφθῇ· ὅπερ πρότερον συνέβη, ὅτε τοὺς ταλαιπώρους Φωκέας ἐποίησεν ἀπολέσθαι τὰ ψευδῆ δεῦρ' ἀπαγγείλας. Ipseque Aeschines in Ctesiph. p. 65. 3: τί ποτ' ἐστὶ τὸ αἴτιον, ὅτι Φιλοκράτης μὲν ἀπὸ τῶν αὐτῶν πολιτευμάτων Δημοσθένει φυγὰς ἀπ' εἰσαγγελίας γεγένηται, Δημοσθένης δ' ἐπέστη τῶν ἄλλων κατήγορος; coll. c. loc. π. πρεσβ. p. 29. 13 sq. mirari sese, quod uni sibi reddenda esset ratio, cum magna criminis pars adversus Phrynonem ceterosque legatos esset. Itaque fidem habeamus auctori epistolarum Aeschinearum, qui in ep. XII Aeschinem scribentem facit: ἐφάνη δὲ ἴσως, ἐφ' οἷς κατηγορήθην πρότερον ὑπὸ Δημοσθένους, πολὺ μείζοσι δηλονέτι τούτων οὖσι, δι' ἃ νῦν ἐξέπεσον, οὐ μικρὸν εἰς ὑμᾶς δεῖγμα τοῦτο τοῦ καλῶς πολιτεύεσθαι (ἐμὲ πεπολιτεῦσθαι νομίζειν), ὅτι οὐδὲ Δημ. κατηγοροῦντος ἑάλων. Nec mirum esse videtur, Aeschinem in oratione Ctesiphontea illius causae mentionem non facere, utpote qui de se omnino parum loquatur, nec se legatum fuisse de pace dicens, ubi imprimis, si alias de se suisque rebus disserere vellet, facultas ei data erat, nec se alia ulla gessisse in rebus de pace actis (p. 62. 35). Totum enim se in Demosthenem eiusque facta vertit; neque iuvabat eum hanc rem afferre, et eam ob causam, opinor, quod amissam libertatem principatumque Macedonum, qui inde a pace illa Aeschini paulo post crimini versa potentiores facti erant, Athenienses vehementer dolebant, et quod is qui auctoritate sua ipsi tum patrocinabatur Eubulus mortuus erat. Nec Demosthenes nisi leviter illis quae modo attulimus verbis causam commemorat, credo ne ea re suppeditaret Aeschini.

Orationem Demosthenicam περὶ παραπρεσβείας (perinde ac Midianam) non omnibus numeris absolutam nec perpolitam sed rudem quodammodo ex auctoris commentariis excidisse tum veteres ([228]) scriptores tum recentiores ([229]) voluerunt; ac tantum abest ut haec impugnem, ut mirari me profitear legentem, Dionem Prusaeum eam nunquam a se dimisisse ([230]).

([228]) Phot. cod. 61. cod. 265. p. 491 Bek. ter. Plut. in vit.

([229]) A. G. Becker litterat. Dem. supplem. p. 211; idem in libro „Demosthenes als Staatsmann u. Redner". II. p. 360 sq. Ranke l. l. p. 107. Weiske de or. de Halonn. p. 18. n. 23.

([230]) Philostr. in vita Dionis Chrysostomi: . . οὐδὲ τοῦ σπουδάζειν ἠμέλει, ἀλλ' ἀπὸ δυοῖν βιβλίοιν ἑαυτὸν ξυνεῖχεν. Ταυτὶ δὲ ἦν ὅ τε Φαίδων ὁ τοῦ Πλάτωνος καὶ Δημοσθένους ὁ κατὰ τῆς πρεσβείας.

Equidem nos Demosthenicam qualem legimus orationem verbis conceptam tenere arbitror antequam habita sit; tamen Demosthenem orantem nonnulla, sicut aptiora ei viderentur, mutasse et omisisse; post causam noluisse retractare scriptam antea orationem. Argumenta mihi sunt haec: 1) Eaedem sententiae eademque facta pluries per totam orationem repetita sunt, id quod tum, cum oratio habebatur, utique non poterat fieri. 2) Aeschines locos aliquot orationis Demosthenicae spectat, quos nosmet non legimus. 3) Ultima orationis pars continet molestos commentarios locorum, quos Aeschines in Timarchea oratione e poetis attulerat; qui commentarii et orationem extenturi et auditores, ut temporis moram sentirent, permoturi videntur; quique haud adeo libenter tum ab Atheniensibus audiri poterant, cum Timarchus ab iis condemnatus esset. Quartum addam hoc. Sub finem p. 387 Demosthenes affert, quod contra dici possit ab Aeschine, socios prorsus pertaesum fuisse belli; attamen hoc argumentum non refellitur. Quam ob rem Marklandus aliique interpretes spuria haec verba habent, Reiskius lacunam hoc loco esse censet, confutationem excidisse. Neutrum horum coniici licet ex nostra sententia; namque aut refutavit Demosthenes hoc Aeschinis argumentum, cum causam orabat, aut alio loco inseruit, aut non locutus est haec verba. Similiter p. 386: quinam testes Olynthii? Wolfius Φωκέας legi vult, Marklandus delet; et p. 408 quodnam testimonium? Marklandus iterum, ut saepius in hac oratione deleri vult. Porro initio Aeschineae orationis legimus, populum Demosthenem de contumeliis Aeschinis mulieri Olynthiae illatis loquentem tacere iussisse; et in scholiis Ulpiani, Eubulo auctore iudices surrexisse: ergo nempe Demostheni non licuit pergere. Quo factum, ut illi molesti commentarii omitterentur, siquidem narrationem de muliere Olynthia ante hos orationi intexuit, id quod vere reperimus in nostra Demosthenica. Denique, si vis, aliud est. Post illam narrationem p. 428 init. inscriptio de Arthmio condemnato (231), quam iisdem fere verbis in tertia Philippica legimus, si tum non lecta est, uno anno post apte afferri poterat: si iam tum lecta est, non item. Nec mihi repugnare videtur, quod Eubulus, in quem Demosthenes accusationis partem vertit (Aesch. π. πρεσβ. p. 29. 15), post illam

(231) De Zelitae huius infamia accurate nuper contra Demosthenem disputavit Leonhardus Spengelius in appendice commentationis de Philippica tertia.

narratiunculam ut patronus malevolorum hominum reprehenditur. Poterat enim hoc priore loco factum esse, ubicunque visum fuerit Demostheni.

Nos igitur iis assentimur, qui Demosthenem orasse volunt, si non ita ut antea conceptam scripto reliquit orationem, at similiter mutatisque et omissis quae inter dicendum viderentur; Aeschinis orationem qualem nos habemus ita et dictam esse, non est cur negandum putemus. Acta est causa coram maiore civium numero ([232]); undecim urnae rei agendae constitutae erant ([233]). Tempus quo acta sit, Dionysius (ad Amm. ι′ med.) dicit annum Pythodoti Arch. Ol. 109. 2; $34\frac{3}{2}$, et argum. Dem. p. 338 R.: tribus annis post legationem. Quum in ea expeditionis Philippi in Acarnaniam nondum mentio facta sit, ea autem oratio, quae de hac expeditione egit, de Halonneso, hieme Ol. 109. 2 habita sit (vide supra n. 225), ante hanc, ergo in priore anni Pythodoti sive altero anni 343 dimidio collocanda esse videtur ([234]). Absolutum esse Aeschinem Idomeneus perhibet triginta calculis, in quem iudicii exitum nonnihil fecisse videtur Eubuli cum auctoritas tum in Demosthenem invidiose dicta. Quamque in prima oratione (adv. Tim. p. 24. 8) promiserat actae legationis rationem, iam re persolvit. Patet enim e Dem. π. παραπρ. p. 406 fin., ante habitas has orationes nec Demosthenem neque Aeschinem rationem reddidisse alterius legationis ([235]).

Sed videamus et ipsi, misso Atheniensium iudicio, quamnam fidem habeamus Demostheni. Ille enim (p. 397) ea, quae Aeschinem arguit, hoc ordine collocat: Aeschinem ex altera legatione reducem false relatis populum decepisse, sociis in pacem recipiendis obstitisse, pacem a Philocrate latam suasisse, in legatione, ne Athenienses auxilio venire possent Phocensibus, tempus trivisse; donis corruptum et Phocenses et Thraciam Philippo prodidisse. Addit Demosthenes, se haec omnia revera monstrasse; ergo Aeschinem sapientibus et iustis iudicibus condemnandum esse. Scilicet Demosthenes quasi ex eventu rerum ad initium rediens ea, quae pa-

([232]) Aesch. π. πρεσβ. p. 28. 25: σχεδὸν δ᾽ οἱ πλεῖστοι τῶν πολιτῶν πάρεισιν.

([233]) Aesch. l. l. p. 45. 1: ἐνδέχεται τὸ λοιπὸν μέρος τῆς ἡμέρας ταῦτα πρᾶξαι· πρὸς ἕνδεκα γὰρ ἀμφορέας ἐν διαμεμετρημένῃ τῇ ἡμέρᾳ κρίνομαι.

([234]) vide Droysenum l. l. p. 41. n. Winiewski p. 169.

([235]) Aesch. adv. Tim. p. 24. 8: ὡς γὰρ τὰς ἐμὰς εὐθύνας βλάπτων (Demosthenes), ἃς ὑπὲρ τῆς πρεσβείας μέλλω διδόναι.

cem secuta sunt, facta ut e consilio Aeschinis eiusque sociorum profecta, eaque munera accipiendi causa ab iis gesta esse simulat. Contra cum supra utriusque adversarii verbis comparatis et interdum argumentis aliunde petitis res repetiverim, probavisse mihi videor, nulla horum vere Aeschini obiectari. Iuvat orationis Demosthenicae quasi recensionem Dionysii addere. Exempla enim afferens in iudicialibus causis saepe dissimulata confirmari argumentis (*ἄλλα προτείνων ἄλλα κατασκευάζει*) ea percenset, cur non priorem sed alteram legationem Aeschinis arguat Demosthenes, cum, omnibus in priore gestis, in altera nonnisi iusiurandum a rege impetrandum fuerit ([236]). Deinde, id quod gravius nobis est, de argumentatione Demosthenis, Aeschinem pecuniam a Philippo accepisse disserit haec: *φησὶ γὰρ ἀποδείξειν τὸν Αἰσχίνην αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ ἐλεγχόμενον, ὅτι δῶρα εἴληφε· καὶ διέξεισι λόγους, οὓς εἶπε πρότερον κατὰ Φιλίππου· εἶτά φησιν αὐτὸν πρότερον κατὰ Φιλίππου πολιτευσάμενον, ὕστερον μεταβεβλῆσθαι, οὐκ ἂν μεταβαλόντα, εἰ μὴ δώροις πεισθεὶς τοῦτ' ἐποίει. ταύτην τὴν ἀπόδειξιν ὑποθεὶς συγκατασκευάζει τὸ ὅτι εἰκότως ἔλαθέ με δῶρα λαβὼν ἐπὶ τῆς ἑτέρας πρεσβείας· ᾤμην γὰρ αὐτὸν χρηστὸν εἶναι τῷ πρότερον κατὰ Φιλίππου πολιτεύεσθαι.* Deinde calliditate Demosthenis pluribus exemplis demonstrata finem facit his verbis: *οὕτω μὲν ἕτερα προτείνων ἕτερα κατασκευάζει ὁ Δημ.· καὶ ἑξῆς τὸ αὐτὸ ποιεῖ ἐν τῷ λόγῳ (π. παραπρ.), καὶ πάλιν ἑξῆς, καὶ ἄχρι τέλους τοῦ παντὸς ἀγῶνος.*

Demosthenes id maxime petiit, ne posthac ipsi contradiceret Aeschines ceterisque qui a parte eius starent (Aesch. π. πρεσβ. p. 52. 37). Itaque summo cum studio et ii, qui paci obtinendae studebant, et inter hos imprimis primores civitatis quique dominationi plebis illudebant, ni-

---

(236) Dionys. Hal. ars rhetor. VIII. 5 med. p. 287. ed. R.: *οἷον, ἵνα ὁ λόγος ἔχῃ παράδειγμα, ἔροιτ' ἂν εἰκότως ὁ Αἰσχίνης τὸν Δημ., διὰ τί τῆς προτέρας πρεσβείας οὐ κατηγορεῖς; καίτοι τὰ πεπραγμένα πάντα ἐν τῇ προτέρᾳ πέπρακται· ὅ φησιν Αἰσχ. ἐν τῇ ἀπολογίᾳ. ἡ δὲ δευτέρα ἀπαίτησιν ὅρκων εἶχε μόνην. ἡ μὲν οὖν ἀληθὴς αἰτία τοῦ μὴ κατηγορεῖν ἐκείνη· ἐπῄνεσεν ὁ Δημ. τὰ ἐν τῇ προτέρᾳ πρεσβείᾳ πάντα πεπραγμένα καὶ ψηφίσματα ἔγραψε καλέσαι ἐπὶ δεῖπνον εἰς τὸ πρυτανεῖον τοὺς πρέσβεις. αὕτη μὲν οὖν ἡ ἀληθὴς αἰτία ἐστὶ τοῦ μὴ ἐγκαλεῖν ἐν τῇ προτέρᾳ πρεσβείᾳ. ἀλλὰ μὴν αἰτίαν ἱκανὴν οὐδεμίαν ἔχει κατὰ τῆς δευτέρας πρεσβείας* (sic legendum videtur Sylburgio pro *προτέρας*)*· δεῖ οὖν αὐτὸν ἐφάπτεσθαι καὶ τῆς προτέρας, δεῖ δ' αὐτῷ προφάσεως. τίς οὖν ἡ πρόφασις; φησὶν ἠγνοηκέναι τὸν Αἰσχ. πεπρακότα αὐτὸν ἐν τῇ προτέρᾳ πρεσβείᾳ. τοῦτο οὑτωσὶ μὲν πρὸς ἐρώτησιν τὴν παρ' Αἰσχίνου ἐν παραιτήσεως σχήματι λεγόμενον, ἀσθενὲς καὶ γελοῖόν ἐστιν· ἄλλο δ' οὐδὲν ἔχων εἰπεῖν ὁ Δημ., ὅπερ ἔφαμεν, ἑτέρου προφάσει τοῦτο συγκατασκευάζει.*

mirum ergo Philippo regi splendidissimo haud nimis alieni, Aeschini favebant ac studebant, id quod in instituenda hac causa apparebat ([237]). Aeschines in fine suae orationis coronam cohortatur, ut tueretur eos, qui pro pace ac salute pugnarent, et illico advocatos suos provocat, viros mehercule non indignos, verum reipublicae studiosos, Eubulum rerum civilium peritissimum, Phocionem clarissimum ducem, Nausiclem amicissimum, eundem procul dubio ducem Atheniensium plus semel a populo coronatum. Itaque iterum Aeschines periculum effugit.

§. 16.

Attamen suspicio et criminationes corruptionis proditionisque Athenis non tacebant. Statim enim aliquot mensibus post auctor orationis de Halonneso denuo in cives proditores amarissime invehitur, exprobrans Atheniensibus, quod eos qui Philippo benevoli essent, non mulctarent ([238]). Neque iniquum facere videor si Demosthenis quas mox habuit orationes ita perlustrabo, ut rationem, qua adversarios insequi pergat, respiciam. Proxima post illam *περὶ παραπρεσβείας* habitam ea putatur, quae res Chersonesi tractat, a. 342 exeunte orata ([239]). Cautissime in hac res publicas per-

---

([237]) Dem. *π. παραπρ.* init.: *Ὅση μέν, ὦ ἄ. Ἀθην., σπουδὴ περὶ τουτονὶ τὸν ἀγῶνα καὶ παραγγελία γέγονε, σχεδὸν οἶμαι πάντας ὑμᾶς ᾐσθῆσθαι ἑωρακότας ἄρτι τοὺς ὅτε ἐκληροῦσθε ἐνοχλοῦντας καὶ προσιόντας ὑμῖν.*

([238]) de Halonn. p. 80 fin. Praecipue in fine h. orat. ferocioribus verbis usus: *ὅσοι δ' Ἀθηναῖοι ὄντες μὴ τῇ πατρίδι ἀλλὰ Φιλίππῳ εὔνοιαν ἐνδείκνυνται, προσήκει αὐτοὺς ὑφ' ὑμῶν κακοὺς κακῶς ἀπολωλέναι, εἴπερ ὑμεῖς τὸν ἐγκέφαλον ἐν τοῖς κροτάφοις καὶ μὴ ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖτε.*

([239]) Clinton. F. H. p. 155. Zimmermann. l. l. p. 95 sq. Droysen. p. 93 sq. hanc orationem vere Ol. 109. 3 (inter Aprilem et Iunium m. a. 341) habitam volunt, praecipue eam ob causam, quod Philippus (p. 93) etesias (qui Iulio mense spirant) exspectans dicatur. At ponit tantum, cum Philippus maiorem exercitum contraxerit, fieri posse ut Byzantium infestet, et Diopithi auxilio venire impediatur, siquidem diutius cunctati fuerint Athenienses usque dum etesiarum tempus venerit. Itaque haec non cogunt, orationem in tam breve ante etesias tempus includere, sed etiam longius licet. Verba p. 94 et p. 100 pariter hiemem stantem atque imminens ver praeferunt (ne te urgeat Ulpianus, qui quidem etesiis commemoratis captus *τὴν ἐπιοῦσαν ὥραν τοῦ ἔθους* interpretatur *τοῦ θέρους*). Quae vero evincunt, ante veris initium orationem habitam esse, ea sunt verba Aeschinis in Ctes. p. 66. 20 sqq. quae facit de pactis Calliae Chalcidensis et Demosthenis. Dicit enim p. 67. 34 e Demosthenis sententia, milites cum pecunia ex Peloponneso Athenas conventuros esse in 16 Anthesterionis. Verum

stringit: in nulla alia oratione toties seu dicit, se liberiore sermone usurum esse, seu rogat ut aperte ac libere loqui sibi liceat ([240]). Per totam orationem id agit, ut eos, qui contradicant, refutet. Hi vero ita censent: ne Demosthenes ad bellum contra Philippum lacesseret iis patrocinans, qui aperte eum infestarent (p. 103 fin. cf. III Phil. p. 112). Diopithem enim naves rapere, eiusque mercenarios in Hellesponto insanientes summaque dementia praeditos terram atque oppida diripere (p. 92. p. 93 fin.); Diopithem igitur in ius vocandum esse (p. 90. p. 94 in. p. 95 fin.). Vera haec sunt: etenim factum erat, ut Philippus epistolam Athenas mitteret, qua minabatur, nisi ipsi Athenienses Diopithem et colonos in Chersoneso coercerent, ipsum se ab iis vindictam sumpturum. Multa de his in ecclesiis acta sunt (v. init. orat.). Demosthenes contra suasit, ut potius auxilium ferrent Diopithi, ut legatos in Graeciae civitates ([241]) mitterent auxilio convocandas; praeterea ut punirent eos, qui in rebus administrandis corrumpi se paterentur, eosque sempiterno odio persequerentur. Tamen magnus etiamtunc erat numerus eorum, qui rem pacis, ideoque ex sententia Demosthenis, Philippi defenderent, ut dicit p. 106 in., ubi Aeschinem quoque ipsum adumbrare mihi videtur inter eos, qui ex ignobilibus viris clarissimi famaque insignes inde facti essent ([242]). Nec minus extrema

---

hae Euboicae res nonnisi ad hunc annum Sosigenis quadrant, vide Winiewski p. 182, quem quidem praeter hunc etiam antecedentem annum permittere nollem. Namque non dereliquisset Dem. loqui de his pactis p. 94: *ἂν ἀπελθὼν ἐκ Θρᾴκης — ἐπὶ Χαλκίδα ἢ Μέγαρα ἥκῃ τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ ἐπ' Ὠρεὸν πρῴην* ..., sive Athenienses vituperans, quod commoda oblata persecuti non essent, sive cohortans, ut nunc iis operam darent. At toto tempore quo rex in Thracia esset, nihil in Euboea ab Atheniensibus gestum esse, sed contra nec conatos eos esse impedire, ne Philippus Philistidem Orei, Clitarchum Eretriae collocaret tyrannos, in ipsa orat. de Cherson. admodum dolet. Ergo non in ver anni 341 promovenda esse videtur oratio. Winiewski p. 177 sqq. in fine auctumni a. 342 posuit. Non habeo equidem quod contradicam.

([240]) p. 95 in.: *Βούλομαι τοίνυν ὑμᾶς μετὰ παῤῥησίας ἐξετάσαι τὰ παρόντα* ... et fine: *λέξω δὲ μετὰ παῤῥησίας.* p. 97: — *καί μοι πρὸς θεῶν, ὅταν ἕνεκα τοῦ βελτίστου λέγω, ἔστω παῤῥησία* —

([241]) Etiam ad regem Persarum legatos mittendos esse legimus in III Philipp. p. 129. At absunt haec ab mscr. Paris. Σ, in qua veteriorem orationis nobis servatam esse recensionem Spengelius in commentatione de III Phil. 1839 probavit.

([242]) l. l. *ἀλλ' Ἀθήνησιν οὐ μόνον Ἀμφίπολιν καὶ τὴν Καρδιανῶν χώραν ἀπεστερηκότος Φιλίππου, ἀλλὰ καὶ* .... *καὶ νῦν ἐπὶ Βυζάντιον παριόντος ἀσφαλές ἐστι λέγειν ὑπὲρ Φιλίππου. τοι-*

p. 102 et p. 103 ad Aeschinem eiusque similes (velim ipsum Eubulum) spectat; tamen nullis verbis apertius describit Aeschinem eiusque causam nuperam quam his (p. 105): τί ποτ' οὖν ἐκείνως τοῖς ἄλλοις καὶ οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον ὑμῖν προσφέρεται (Philippus); ὅτι ἐν μόνῃ τῶν πασῶν πόλεων τῇ ὑμετέρᾳ ἄδεια ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν λέγειν δέδοται, καὶ λαβόντα χρήματ' αὐτὸν ἀσφαλές ἐστι λέγειν παρ' ὑμῖν, κἂν ἀφῃρημένοι τὰ ὑμέτερα αὐτῶν ἦτε (Phocenses nempe his tangit).

Perinde altera huius anni oratione, tertia Philippica, circa idem cum illa oratione tempus habita ([243]) primo quidem adversarios cautius insectatur ([244]). Vehementer desiderat tempus praeterlapsum, quo communi odio omnium ultimoque supplicio persecuti essent eos, qui largitiones a dominationis cupidis accepissent, quoque nec deprecatio nec venia locum habuisset (p. 120 fin. καὶ παραίτησις οὐδεμία ἦν οὐδὲ συγγνώμη). Comparat praesens tempus p. 121 in.: νῦν δ' ἅπανθ' ὥσπερ ἐξ ἀγορᾶς ἐκπέπραται ταῦτα, ἀντεισῆκται δὲ ἀντὶ τούτων, ὑφ' ὧν ἀπόλωλε καὶ νενόσηκεν ἡ Ἑλλάς. ταῦτα δ' ἐστὶ τί; ζῆλος, εἴ τις εἴληφέ τι· γέλως, ἂν ὁμολογῇ· [συγγνώμη τοῖς ἐλεγχομένοις·] μῖσος, ἂν τούτοις τις ἐπιτιμᾷ. Haec extrema verba quin in causam Aeschinis dicta sint, non dubitandum videtur; et ipsa argumento esse possint, deprecatione Eubuli (et auctoritate Phocionis) veniam Aeschini a populo datam esse ([244]). A media deinde p. 124 fusius ut caveat populus eos monet, qui pro Philippo loquerentur (nihil dicit pecunia corruptos) blandiendo populi auribus. Alios enim censere, pecuniam cogendam esse, hos non

---

γάρτοι τούτων μὲν ἐκ πτωχῶν ἔνιοι ταχὺ πλούσιοι γίγνονται καὶ ἐξ ἀνωνύμων καὶ ἀδόξων ἔνδοξοι καὶ γνώριμοι κ. τ. λ. cfr. Dem. π. παραπρ. p. 386 in.

([243]) Zimmermann l. l. p. 94 sq. primus, quod sciam, ordinem harum orationum mutavit, ita ut tertia Philippica illa prior sit. Droysen. l. l. p. 94 sq. hanc anno 342 exeunti assignat, illam veri anni sequentis (v. n. 239). Spengel. l. l. p. 11 veterem a Dionysio constitutum ordinem revocat. Winiewski p. 177 sqq. priorem statuit orat. de Chers. mense circiter Pyanepsione, tertiam Philippicam brevissimo temporis intervallo post illam habitas esse.

([244]) Spengelius de Phil. III commentatione p. 24 in priore orationis recensione, quae sit in mscr. Paris. Σ verba uncis inclusa excidisse comprobat ex causis rhetoricis. Concludit his: „Wir glauben demnach, daſs mit den Worten γέλως ἂν ὁμολογῇ in enger Verbindung stehen: μῖσος, ἂν τούτοις τις ἐπιτιμᾷ, und halten jenes Emblem für einen ungeschickten, des Demosthenes kaum würdigen Zusatz, welchen auch Hr. Prof. Halm (Bayerische Annalen 1834. no. 52) als unächt verworfen hat. Übrigens versteht Dem. ersteres von Philocrates, letzteres bezieht sich auf ihn selbst und seine kurz vorher gemachte erfolglose Klage gegen die Gesandten, περὶ παραπρεσβείας, daher die trübe und melancholische Stimmung seines Gemüthes, die sich hier wie anderswo nirgends so deutlich ausspricht. cfr. π. παραπρ. p. 428."

oportere; illos bellum esse gerendum, Philippo diffidendum, hos pacem observandam (p. 127). Queritur, populum multa iam missa fecisse cedentem temporibus ratumque omnino iam omnia pessumdata. Addas ea quae in fine orationis dixit: *εἰ δ᾽ ὃ βούλεται ζητῶν ἕκαστος καθεδεῖται, καὶ ὅπως μηδὲν αὐτὸς ποιήσει σκοπῶν, πρῶτον μὲν οὐ μή ποθ᾽ εὕρῃ τοὺς ποιήσοντας, ἔπειτα δέδοικα, ὅπως μὴ πάνθ᾽ ἅμα, ὅσα οὐ βουλόμεθα, ποιεῖν ἡμῖν ἀνάγκη γενήσεται* (245). Quis est, quin hic Eubulum et Phocionem depictos sentiat (246), hunc qualem Plutarchus exprimit, illum qualem maledicentius Theopompus.

Ex his omnibus atque ex iis, quae Demosthenes de administranda pecunia publica deque emolumentis civium inde petitis dicit (de Chers. p. 95 bis. al.), statuere posse mihi videor, Eubulum per hunc annum etiam vixisse; neque id quod ille summa populi fiducia administraverat munus quaestorium iam tum Lycurgum, Demostheni familiarissimum subiisse, sed hunc demum inde ab 110. 3 potius, aut si mavis a sequenti a. 4 Ol. 109 (247). Eubulum vero paulo post has orationes mortuum esse, ex eo argumenter, quod insequenti anno, cum Aeschines propter Anaxinum a Demosthene suspectus factus atque in periculo esset, futurum fuisse credo, ut iterum ei patrocinaretur.

Patet denique imprimis e tertia Philippica (et praecipue ex altero eius dimidio), cladem Demosthenis illam haud levem fuisse, eum ab adversariis multa passum, eum prudenter loquendo pristinam auctoritatem nancisci tum cupivisse.

§. 17.

Multa tamen et magna duabus his orationibus effecta esse, videre licet e rerum progressu (248). Persuaserat Demosthenes Atheniensibus, Phi-

---

(245) cf. de Cherson. p. 107 fin. p. 98: *νῦν δὲ δημαγωγοῦντες ὑμᾶς καὶ χαριζόμενοι καθ᾽ ὑπερβολὴν οὕτω διατεθείκασιν, ὥστε ἐν μὲν ταῖς ἐκκλησίαις τρυφᾶν καὶ κολακεύεσθαι πάντα πρὸς ἡδονὴν ἀκούοντας, ἐν δὲ τοῖς πράγμασι καὶ τοῖς γιγνομένοις περὶ τῶν ἐσχάτων ἤδη κινδυνεύειν.*

(246) Phocionem iam Stockius notat ad h. loc.

(247) Pinzger. praef. ad edit. Lyc. orat. p. 8 sq. — Westermann. hist. eloq. Gr. p. 101 annum quartum ponit Ol. 110. Boeckh. Oecon. civ. Ath. II. p. 248 illas tres pentaeteridas constituit aut ab Ol. 109. 3 ad 112. 3 aut ab Ol. 110. 3 ad 113. 3. Droysen. p. 20 sq. ab Ol. 109. 3. Zimmermann. p. 18 qui idem vult, falso quindecim annos computat.

(248) Magna qua utitur solertia Droysen. l. l. p. 92-102 res has historicas exhibuit, prae-

lippum pacem rupisse, male reipublicae providere eos cives, qui priorem id fecisse Diopithem populumque Atheniensium arguerent. Mox Athenienses cum Euboeensibus foedus contra Philippum inire moliti sunt. Clitarchus, qui Eretriensium, et Philistides, qui Oritarum reipublicae praeerant Philippi opera instituti, legatos miserunt Athenas, quos hospitaliter excepisse Aeschinem accusat Demosthenes de cor. p. 252 fin. Tamen hos populus Atheniensium repudiavit, quod iniusta, ait Demosthenes, poposcissent. Callias vero Chalcidis princeps magistratus destituto Philippo in Atheniensium olim sibi infensorum gratiam receptus, cunctorum Euboeensium et Peloponnesiarum aliquot civitatum societati adversus Philippum contrahendae opera navata Demosthenem totum suo consilio cepit, qui ipse eum Athenis orantem adiuvabat referens ex legatione sua, anno antecedenti in Peloponnesum et Acarnaniam suscepta, magnam vim pecuniae magnumque militum, qui duces Atheniensium sequerentur, numerum Athenas venturum esse, aliaque addens, quae apud Aeschinem sunt (249). Multa auctore Demosthene Calliae sunt concessa: ut tributa usque eo Athenas lata inde huic solverentur, ut Chalcidenses, quum hucusque synedrii Athenis participes fuissent, suum haberent domi. Vera haec esse, decretis lectis Aeschines probat (250). Neque tamen adeo multa inde ad Athenienses profecta esse videntur commoda, cum Demosthenes, ubi quidem Euboea a se liberata gloriatur, huius cum Callia facti consilii mentionem facere supersederit (251). Verum haud multo post Phocion cum exercitu contra Clitarchum Eretriensem tyrannum expeditionem fecit ante Byzantium bellum (252), ergo ini-

---

cipue collatis locis usque eo neglectis Frontini I. 3, 4; I. 14, 3. Theopompi ap. Athen. IV. p. 166, et ap. Stephanum Byz. v. Καρὸς κῆποι, aliorum, indeque alium atque hucusque solitum rerum ordinem praetulit.

(249) in Ctesiph. p. 66 et 67; etiam certos numeros affert. De rebus his Euboicis quidquid cognosci potest, vid. ap. Droysen. p. 120 sqq.

(250) Athenienses etiam Chalcidensibus triremes tum credebant, quarum praedes fiebant cives aliquot Atheniensium, inter quos ipse erat Demosthenes. vid. Boeckh. de re navali Athen. tab. XIV. c. 42 sqq. p. 481.

(251) Dem. de cor. p. 252 in. cf. p. 254.

(252) Diod. XVI. 74. cf. Dem. de cor. p. 254: Ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ τῆς Εὐβοίας ὁ Φίλιππος ἐξηλάθη τοῖς μὲν ὅπλοις ὑφ᾽ ὑμῶν, τῇ δὲ πολιτείᾳ καὶ τοῖς ψηφίσμασι, κἂν διαῤῥαγῶσί τινες τούτων, ὑπ᾽ ἐμοῦ, ἕτερον κατὰ τῆς πόλεως ἐπιτειχισμὸν ἐζήτει. Deinde narrat bellum Byz.

tio anni Nicomachi, aestate 341. Tamen in epistola Philippi, quam spuriae quidem orationi Demosthenicae adiectam habemus, quamque, etsi ipsa sit spuria, tamen e Theopompo aliisque confectam fontibus vera continere haud dubium est ([253]), regem Atheniensibus exprobrantem fecit auctor p. 159 fin.: Καλλίας τοίνυν ὁ παρ' ὑμῶν στρατηγὸς τὰς μὲν πόλεις τὰς ἐν τῷ Παγασίτῃ κόλπῳ κατοικουμένας ἔλαβεν ἁπάσας, ὑμῖν μὲν ἐνόρκους ἐμοὶ δὲ συμμαχίδας οὔσας, τοὺς δ' εἰς Μακεδονίαν πλέοντας ἐπώλει πάντας πολεμίους κρίνων· καὶ διὰ ταῦθ' ὑμεῖς ἐπῃνεῖτ' αὐτὸν ἐν τοῖς ψηφίσμασιν. Patet e verbis ὁ παρ' ὑμῶν στρατηγὸς (non ὁ στρατ. ὑμῶν) et ἐπῃνεῖτ' αὐτὸν ἐν τ. ψηφ., non Atheniensem ducem sed illum esse Calliam, qui per Athenienses milites auctus has expeditiones fecit ([254]). Etiam multis annis post Demosthenes Calliae eiusque fratri Taurostheni admodum favit ([255]). Propter Euboeam liberatam populus Atheniensium Aristonico rogante Demostheni coronam decrevit, qua sine dubio proximis Dionysiis magnis celebratus est, m. Martio a. 340. Multa alia hoc anno et sequentibus Athenis agitabantur; neque immerito ipse Demosthenes negotium suum reipublicae gerendae ab anno Pythodoti repetit (de cor. p. 230 extr.). Nihil inexpertum omittit; nulli rei parcit, qua Athenienses ad summos labores subeundos excitari possint. Ipse legationem suscipit ad Byzantios; hi, etsi non illico, mox tamen insidias Philippi suaeque urbis impetum experti foedus cum Atheniensibus icunt; Athenienses magnis viribus adiuvant, donec Philippus etiam ipsorum naves Atheniensium diripuit, postquam frustra, epistola Athenas missa, si-

---

([253]) Droysen. p. 95. cf. p. 123. vide Ranke l. l.

([254]) Aesch. in Ctes. p. 65: καὶ τὸ τελευταῖον στεφανώσας τοὺς μετὰ Ἀριστοδήμου εἰς Θετταλίαν παρὰ τὰς τῆς εἰρήνης συνθήκας ἐπιστρατεύσαντας τὴν μὲν εἰρήνην διέλυσε, τὴν δὲ συμφορὰν καὶ τὸν πόλεμον παρεσκεύασεν. Eadem Calliae expeditio est. Cum enim Callias offensus a Thessalis Philippi sociis fortasse navibus Chalcidensibus post ortas inimicitias direptis, Pagasas urgeret navesque in Macedoniam ituras insultaret, Aristodemus nescio an forte excursor mercenariorumve dux, ut iste Alcibiades ap. Aesch. περὶ πρεσβ. p. 50. 30, ex Atheniensibus nonnullos sibi adsumpsit. Nolim alterum quod proponit Droysen. p. 124, ut legatur Χαριδήμου, quoniam vir militari re probatus certo tam gravi expeditioni ab Atheniensibus praefectus fuerit; immo alterum propter loc. ex epistola Philippi allatum, ut Athenienses de composito, quiqui vellent admitterent.

([255]) Aesch. in Ctes. p. 66. Din. adv. Dem. p. 96. § 45: ἢ τὸ γράψαι Ταυροσθένην Ἀθηναῖον εἶναι τοὺς μὲν αὑτοῦ πολίτας καταδουλωσάμενον, τῆς δ' Εὐβοίας ὅλης μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ Καλλίου προδότην Φιλίππῳ γεγενημένον;

multatos, quas sibi parassent multifarias, Atheniensibus exprobravit. Perdunt operam Demosthenis adversarii hoc ipso tempore, priusquam bellum contra Philippum declaratum est, imprimis Aeschines. Demosthenes enim occasionem vel levissimam captabat, qua eos prosterneret.

§. 18.

Antiphon ([256]), qui civium recensione facta a contribulibus nescio quo iure eiectus erat, tunc clam Athenas regressus in Piraeeo latebat. Quem cum Demosthenes ibi detectum in concionem populi produxisset, populus Aeschine patrocinante et Demosthenem, quod cives miseriae datos vexaret ac decreti iniussu aedibus incideret arguente, liberum fecit. Deinde Areopagus hunc suspectum in concionem reduxit et in tormenta dandum ac necandum curavit. Aliud etiam Demosthenes crimen Aeschinis affert, quod rursus cum Anaxino emissario in aedibus Thrasonis deprehensus esset (de cor. p. 272). Demosthenes igitur magis rem Antiphontis respicit ut graviorem. Aeschines Antiphontem ne verbo quidem nominat; verum contra depromit rem Anaxini; ac mirum quod Demosthenes de Antiphonte dicit: *νῦν δ' ὑμεῖς στρεβλώσαντες αὐτὸν* (Antiphontem) *ἀπεκτείνατε*, idem de Anaxino Aeschines: *καὶ τὸν αὐτὸν ἄνδρα διαστρεβλώσας τῇ σαυτοῦ χειρὶ ἔγραψας θανάτῳ ζημιῶσαι, — καὶ τοῦτον ἀπέκτεινας.* Quid? estne uterque, et Antiphon et Anaxinus, tormentis deditus ac necatus? At nempe non praetermisisset Demosthenes id afferre de Anaxino; verumtamen supplicium hunc perpessum esse plane tacet; sed potius Aeschinem respiciens ait: *Καίτοι ὅστις τῷ ὑπὸ τῶν πολεμίων πεμφθέντι μόνος μόνῳ συνῄει καὶ ἐκοινολογεῖτο, οὗτος αὐτὸς ὑπῆρχε τῇ φύσει κατάσκοπος καὶ πολέμιος τῇ πατρίδι.* Atque testes, quos provocat dicta eius confirmaturos (id quod ipse auctor

---

([256]) Droysen. p. 180 hunc facit e posteris Harmodii ex loco Dinarchi adv. Dem. p. 98 §64: *καὶ τεθνᾶσι κατὰ τὸ σὸν ψήφισμα δύο τῶν πολιτῶν, πατὴρ καὶ υἱός, παραδοθέντες τῷ ἐπὶ τῷ ὀρύγματι· ἐδέθη τῶν ἀφ' Ἁρμοδίου γεγονότων εἷς κατὰ τὸ σὸν πρόσταγμα· ἐστρέβλωσαν Ἀντιφῶντα καὶ ἀπέκτειναν οὗτοι τῇ τῆς βουλῆς ἀποφάσει πεισθέντες· ἐξέβαλες σὺ Ἀρχῖνον ἐκ τῆς πόλεως ἐπὶ προδοσίᾳ κατὰ τὰς τῆς βουλῆς ἀποφάσεις καὶ τιμωρίας.* Totum hunc locum ascripsi, ut ex coniunctione singulorum damnatorum pateret, inde non sequi Antiphontem esse e posteris Harmodii. Dinarchus enim enumerat eos, qui ullo modo a Demosthene perditi essent; quinque hi sunt; namque ut nomen patris illius et filii tacuit aut nescivit, ita nomen illius Harmodiani praetermittit. Antiphon cruciatus et necatus est, ille ex posteris Harmodii vinctus.

decreti falsarius non ignoravit) certo nil nisi deprehensum esse Anaxinum coram Aeschine testati sunt. Narrata re Anaxini addit Aeschines (adv. Ctesiph. p. 86 init.): Ἐπιστολὰς δὲ σιγῶ ψευδεῖς καὶ κατασκόπων συλλήψεις καὶ βασάνους ἐπ' αἰτίαις ἀγενήτοις, ὡς ἐμοῦ μετά τινων ἐν τῇ πόλει νεωτερίζειν βουλομένου. Droysen. p. 128 haec verba de Anaxino dicta censet. Quin etiam de Antiphonte; saltem ex Aeschinis sententia propter verba βασάνους ἐπ' αἰτίαις ἀγενήτοις, cum is ipse tamquam emissarius Philippi visus esset Demostheni; aut quod malim equidem de solo Antiphonte, cuius ad rem quadrant verba ὡς ἐμοῦ μετά τινων ἐν τῇ πόλει νεωτερίζειν βουλομένου: νεωτερίζει enim eo, quod solus tuetur illum, quem suspectum ut damnaret concio monebat Demosthenes. Namque ex his omnibus coniicio haec. Gravior erat causa Antiphontis, unde, cum Areopagus rei se immiscens (res enim Antiphontis suspecti ad disciplinam et securitatem publicam pertinebat) suspicionem Antiphontis auxisset, Aeschines maiores simultates suscepit. Quam ob rem declinat ab hac accuratius et fusius commemoranda, cum praesertim paulo post censura Areopagi a legatione Deliaca repulsus esset ([257]). Ceterum Demosthenem nimis periculosam hanc rem proposuisse, nemo non videt; iam Ulpianus ad h. l. hoc annotavit ([258]). Nec rudis maledicendi Demosthenes ad hanc narrationem transit ex alia de parentibus Aeschinis, quibus turpissime maledixerat (vide I. § 1 et 2 nostr. comment.). Adi Plutarchum, qui simpliciter rem tradit, et facinus Demosthenis σφόδρα ἀριστοκρατικόν vocat; quique Demosthenem Antiphontem a populo absolutum ipsum ante Areopagi iudicium traxisse refert ([259]), quam-

([257]) Böckh Erklärung einer Att. Urkunde über das Vermögen des Apollin. Heiligthums auf Delos (Berl. Akad. 1834): „Die Geschichte von Antiphon kommt ohne weitere Verbindung mit der Wahl des Aeschines und Hyperides bei Din. c. Dem. p. 46, und bei Plut. vit. Dem. c. 14 vor; in Verbindung mit jener Wahl aber bei Philostr. vit. Aesch. § 2. Blofs die Verwerfung des Aesch. und die Ernennung des Hyperides ohne Erwähnung des Antiphon erzählen, jedoch nur aus Dem., Apollonius (prooem. in Aesch. S. 14. R.) und Pseudo-Plut. vit. Hyperidis et Aesch. (wo statt σύνδικος das ungefähr gleichbedeutende συνήγορος steht), desgl. Phot. cod. 266."

([258]) κεκρυμμένον ἐν Πειραιεῖ] Τὰ εἰκότα εἴρηκεν ὡς πεῖσαι δυνάμενα. ὅ τε γὰρ τόπος τοῦ Πειραιῶς ὕποπτος καὶ ὁ τρόπος· κεκρυμμένον γὰρ εἰπὼν εἰς πίστιν ἄγει τὴν τόλμαν. vide cetera.

([259]) vit. Dem. c. 14. Σφόδρα δ' ἀριστοκρατικὸν αὐτοῦ πολίτευμα καὶ τὸ περὶ Ἀντιφῶντος· ὃν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας ἀφεθέντα συλλαβὼν ἐπὶ τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν παρήγαγε, καὶ παρ' οὐδὲν τὸ προσκροῦσαι τῷ δήμῳ θέμενος, ἤλεγξεν ὑπεσχημένον Φιλίππῳ τὰ νεώρια ἐμπρήσειν· καὶ παραδοθεὶς ὁ ἄνθρωπος ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀπέθανε.

quam in oratione dixit Demosthenes, Areopagum rem sensisse (cfr. Ulp. schol. ad h. l.). Itaque Antiphon cruciatus et extremo supplicio mulctatus est. Deinde (πάλιν. Dem.) Aeschines comprehenditur cum Anaxino, quem Demosthenes quidem emissarium Philippi ac speculatorem facit, Aeschines merces Olympiadi Philippi uxori empturum, eundemque Oritam hospitem et sibi et ipsi Demostheni fuisse ait. Quo factum est ut, cum Demosthenes, ut is capite mulctaretur, tulisset, ideoque ab Aeschine parricida vocatus illud se salem urbis pluris habere mensa hospitali dixisset, populi corona cum indignatione et fremitu conclamaret. Huc affero ea, quae Dinarchus (l. l.) tradit; de Anaxino (260) hic cogitandum esse post mentionem Antiphontis factam patet. Persuasum nobis habere licet, Dinarchum, si necatus esset iste Archinus seu potius Anaxinus, id dicturum fuisse. Silet etiam Demosthenes. Urbe igitur decreto senatus expulsus est Anaxinus, quippe qui, quorundam civium fortasse etiam Thrasonis hospes merciumque Olympiadi emendarum causa in urbe versatus, facile suspectus fieri posset Demostheni aliisque; namque omnimodo Aeschini insidiabatur Demosthenes. Neque urgent nos verba Aeschinis διαστρεβλώσας τῇ σαυτοῦ χειρὶ ἔγραψας θανάτῳ ζημιῶσαι, quae studium modo Demosthenis eum interficiendi efferunt; neque minus istud postea ἀπέκτεινας ad litteras exigendum est, cum de confecto homine facile intelligi possit, quemadmodum ἀπόλωλα et comicum illud Πείσανδρος ὡς ἀπόλλυται aliaque et ipsum illud Demosthenicum ἀνῄρηκας initio or. π. παραπρ.

Itaque Antiphon, e pago suo in quem dolo irrepsisset motus, sive inquilinus in urbe mansit penso tributo inquilinorum, sive Athenis abiit (261), quod malim e verbis Demosthenis, tum in urbem regressus totus certe sub legibus plenaque Atheniensium potentia erat; nec mirum, quantavis calamitas ei illata sit, ultimo supplicio ab Atheniensibus hunc affectum esse. Verum Anaxinus Orita, negotiator uxoris Philippi, quamvis Demostheni et iis quibus hic persuaserat suspectus, tamen nequaquam ab Atheniensibus trucidatus esse putetur; sed potius bono animo in honorem

(260) Droysen. p. 129 Ἀναξίνου pro Ἀρχίνου emendari vult, quamquam res aliter narrata esset. Tamen non opus est emendatione, cum tot annis praetermissis fieri posset, ut Dinarchus nomen huius viri alias obscuri haud satis accurate memoria teneret; praesertim cum prior utriusque vocis pars e synonymis verbis derivata sit.

(261) Meier de bonis damnat. p. 86.

Atheniensium dare licet, cum nondum apertum esset bellum contra Philippum, caedem huius tum Athenis fieri non potuisse ([262]).

Verosimile est, has duas res ad idem fere tempus, certe ad eundem annum Ol. 109. 4 pertinere ([263]). Aeschines acerrime obstiterat Demostheni Euboicam expeditionem suadenti; quem tribus talentis corruptum esse e decreto Oritarum probat (in Ctes. p. 68. 15 sqq.). Iam tunc se Demosthenem largitionum acceptorum convicisse gloriatur (p. 85. 25); cum tamen publicam causam Demostheni instituturus esset, hunc se praevenisse ait (p. 85. 36) comprehensione Anaxini. Alter alterius criminationes metuebat; Aeschines paulo ante narratam Anaxini rem: *Οὕτω δὲ ταῖς αἰτίαις ἐνέφραξας τὰς κατὰ σαυτοῦ τιμωρίας, ὥστε τὸν κίνδυνον εἶναι μὴ σοὶ τῷ ἀδικήσαντι ἀλλὰ τοῖς ἐπεξιοῦσι, πολὺν μὲν τὸν Ἀλέξανδρον καὶ Φίλιππον ἐν ταῖς διαβολαῖς φέρων, αἰτιώμενος δέ τινας ἐμποδίζειν τοὺς τῆς πόλεως καιρούς, ἀεὶ δὲ τὸ παρὸν λυμαινόμενος, τὸ δὲ μέλλον κατεπαγγελλόμενος*: et Demosthenes p. 273 statim post rem Anaxini: *δεδώκατε ἔθει τινὶ φαύλῳ πολλὴν ἐξουσίαν τῷ βουλομένῳ λέγοντά τι τῶν ὑμῖν συμφερόντων ὑποσκελίζειν καὶ συκοφαντεῖν, τῆς ἐπὶ ταῖς λοιδορίαις ἡδονῆς καὶ χάριτος τὸ τῆς πόλεως συμφέρον ἀνταλλαττόμενοι* ([264]). Inimicitiae ac multae controversiae horum ad summum pervenerant. Inde continua

---

([262]) Quod si, ut certus sum, probatum est, dematur aliquid de verbis viri ill. Droyseni p. 135: „Das Gericht über Anaxinus ist ein höchst ungerechtes; man war noch, wenigstens dem Namen nach, mit Philippos im Frieden. Ein so gewaltsames Verfahren konnte allenfalls entschuldigt werden, wenn man bereits aus Euböa des Philippos Söldner vertrieben, am Pagasitischen Meerbusen Besitz ergriffen und somit partiell den Krieg eröffnet hatte, wenn bereits mit Python vergebliche Unterhandlungen gepflogen und alle Gemüther auf die sofortige Kriegserklärung gefaſst waren; ein halbes Jahr früher dagegen wäre solcher Justizmord ohne allen Nutzen, ohne allen Vorwand und, man darf es zu Ehren der Athener glauben, undenkbar."

([263]) vid. Droysen. p. 127 sqq. p. 180 sq. qui in tabula quam libello suo addidit chronologica Antiphontis caedem Maemacterioni (Octobri mensi a. 341), rem Anaxini Gamelioni (Februario a. 340) assignavit, quemque quo refutem nihil habeo. Winiewski p. 144 Anaxini comprehensionem ex sua ratione eodem hoc anno collocavit; Antiphontis vero et quae cohaerere videtur cum hac Aeschinis per Areopagum a rebus Deliacis refusionem in Ol. 107. Boeckh. de sacris Apollinis Deli insulae p. 13 in anno tertio vel quarto Ol. 108. Sequor igitur quae Droysenus attulit.

([264]) Pergit Demosthenes: *διόπερ ῥᾷόν ἐστι καὶ ἀσφαλέστερον ἀεὶ τοῖς ἐχθροῖς ὑπηρετοῦντα μισθαρνεῖν, ἢ τὴν ὑπὲρ ὑμῶν ἑλόμενον τάξιν πολιτεύεσθαι.* Acerbe haec dicta sunt, plane tamen evincunt, illas res Antiphontis et Anaxini non adeo Aeschini gravius detrimentum importasse.

vigilantia Demosthenis, inde captatio rei Antiphontis et Anaxini, et quod secutum est Areopagi iudicium. Non tamen inde coniiciam, id quod Droysenus fecit (p. 182), ab illis temporibus infestationibus Areopagi datos esse divites, qui eo usque tamquam patrono Eubulo gratia populari maxime fructi essent. Populo enim in ecclesia suffragium ineunte, quem causae Deliacae institutae advocatum crearet, cum certe praestantissimus orator quaereretur, quique honeste vixisset, Aeschines, et fortasse ab adversariis eius Hyperides proponebantur. Superior exstitit suffragiorum numero Aeschines, is qui mythos orationi suae intexendo iam ante Philippum orans excelluerat ([265]). Demosthenes et amici, ne ille hoc honestissimum munus subiret indeque maiorem etiam auctoritatem ac superbiam pararet, callide effecerunt, ut Areopago res decernenda traderetur, et rem Antiphontis arcessiverunt. Qui autem, ut iudicio suo nuper facto constaret, ut Hyperides oraret, iudicavit. Verum tamen anno post pylagoras creatus est, quamquam contra Philippum bellum iam declaratum erat. Philippus enim aestate a. 340 Chersonesum vastavit et Perinthum urbem adortus est, quae a Byzantiis et a rege Persarum fortissime magnisque viribus adiuta Macedonibus diu restitit. Auctumno denique a. Theophrasti Ol. 110. 1 (340) columna pacis eversa ([266]) Chares Byzantiis auxilio mittitur isque imprimis Demosthene auctore ([267]). Quem cum Byzantii diffidia moti ne excipere quidem voluissent, et Athenienses in eos irati essent, Phocion, ne diffidentibus sociis irascerentur, monet, sed ducibus qui fiducia illorum non essent digni. Deinde ipse dux creatus et a Byzantiis laetis exceptus effecit, ut rex infecta re discederet ([268]) a. 339. Etiam Cephisophontem una cum Phocione hoc anno ducem Atheniensium fuisse, videre licet e tabula trierarchica apud Boeckhium ([269]).

([265]) vid. n.179 nostrae comment. Fragmenta Deliacae orationis, ut videtur Hyperidis, satis ostendunt, in hac causa maxime mythos spectandos fuisse. vid. Boeckh. de sacr. Apoll. Deli ins. cf. Dem. de cor. p.277, ubi Aeschines dicitur *εὐπροσώπους λόγους καὶ μύθους συνθείς.*

([266]) Philoch. ap. Dionys. ad. Amm. c.11.

([267]) Plut. vit. Phoc. c.14: — *οἱ μὲν ῥήτορες ἠγωνίσαντο τὸν Χάρητα στρατηγὸν ἀποσταλῆναι, καὶ πλεύσας ἐκεῖνος οὐδὲν ἄξιον τῆς δυνάμεως ἔπραττεν, οὐδ' αἱ πόλεις ἐδέχοντο τὸν στόλον ἀλλ' ὕποπτος ὢν πᾶσιν ἐπλανᾶτο χρηματιζόμενος ἀπὸ τῶν συμμάχων καὶ καταφρονούμενος ὑπὸ τῶν πολεμίων.* ([268]) Plut. apophthegm. Phocion. 8.

([269]) de re navali tab. XIII. *c.* 98. cfr. tab. XIV. *d.* 241 sic restituta: *Ἐπὶ Θεοφράστου ἄρχον-*

§. 19.

Progredimur nunc ad eam rem tractandam, quam vehementer culpae atque opprobrio ei vertit Demosthenes (de cor. p. 275 sqq.), quamque si eos, qui ceteras proditionis criminationes arcent, maximo crimini ei habentes video, admodum miror nullum Amphissense. Accuratius hanc rem exhibet Aeschines (in Ctes. p. 69 sqq.); neque ullum gravius invenies discrimen in iis quae Demosthenes affert. Quodsi utrumque legeris, assumpta ea quam Droysen. p. 36-56 diligentissime fecit explicatione, pauca tantum sunt quae addam, quae contradicam nulla.

Aeschines cum Midia illo Anagyrasio et Thrasycle pylagoras Diogneto hieromnemone creatur Theophrasti anno exeunte Ol. 110. 1 sive vere a. 339 (270). Quum in conventu Amphictyonum sive hieromnemonum Locri Amphissenses Thebanorum gratia ferrent, ut Atheniensium populus quinquaginta talentis mulctaretur, quod scutis aureis denuo in templum dedicatis inscripsissent: Ἀθηναῖοι ἀπὸ Μήδων καὶ Θηβαίων, ὅτε τἀναντία τοῖς Ἕλλησιν ἐμάχοντο: Diognetus valetudine impeditus Aeschinem pro urbe loqui iussit. Qui cum vehementius huic rogationi contradiceret, importunitate incensus unius ex Amphissensium pylagoris, qui inter alia foedus quoque Atheniensium cum Phocensibus initum sacro crimini dabat, magno cum ardore monstravit, ipsos Amphissenses agro diis sacro arato cultoque scelus multo magis foedum suscepisse. Quo factum est, ut neglectis scutis illico de puniendis Amphissensibus cogitaretur. Sequenti die ipsi hieromnemones et pylagorae cum Delphicis dum portum Cirrhaeum obstruunt, aedificia incendunt, Locri Amphissenses armati, qui inde sexaginta stadia habitabant, universi illis incidunt fugantque. Die sequenti cum Cottyphus Pharsalius ὁ τὰς γνώμας ἐπιψηφίζων Amphictyonas convocasset, placuit, ut ante proximum Amphictyonum concilium tempore constituto (ἐν ῥητῷ χρόνῳ) hieromnemones convenirent Pylas cum decreto, ex quo Amphissenses punirentur, quod in deum et in terram sacram et in Amphictyones peccas-

---

τος τῶν μετὰ Φωκίωνος καὶ Κηφισοφῶντος πλευσασῶν ἐπιδόσιμος τριήρης Ἀνδρεία, Ἀλκαίου ἔργον, τριήραρχος Ὑπερείδης Γλαυκίππου Κολλυτεὺς κατέβαλε κ. τ. λ. vid. annot. Boeckhii p. 442.

(270) Aesch. l. c. vide Droysen. p. 39 sq., qui demonstravit, conventum Amphictyonum Delphicum fuisse vere non auctumno, contra Boeckhium ad Corp. Inscr. p. 808, et C. F. Hermann. Antiq. Gr. p. 39. — Cfr. Brückner. l. l. p. 235. R. Rauchenstein. de tempore quo Aesch. et Dem. orationes Ctesiphonteae habitae sint commentatio. Aroviae 1835.

sent. Cum deinde pylagorae Athenienses domum regressi hoc placito et senatui et concioni populi tradito primo quidem prolati essent, mox Demosthenes decretum tulit, quod populiscitum factum esset uti hieromnemo Atheniensium et pylagorae nisi tempore a maioribus constituto Pylas Delphosve ne proficiscerentur, iique uti ne participarent cum consiliis actisque huius qui extra ordinem cogeretur senatus Amphictyonum. Nec Thebani his intererant, propterea fortasse quod intelligebant, se ad servandos amicos non satis firmos esse. Expeditio enim ibi in Locros decernitur, Cottyphus dux creatur; mediocris poena Locris constituitur. Quam cum non solverent, neque omnino expeditio bene procederet, proximo legitimo Amphictyonum Pylis concilio (auctumno anni Lysimachidae Ol. 110. 2. a. 339) Philippus dux creatur, quoniam bello Phocensi finito piissimum erga deos se probaverat. Philippus modo regressus e Scythica expeditione, quam primis tribus Lysimachidae anni mensibus perfecerat, venit, Elateam (exeunte a. 339. vide Droysen. p. 47 sq.) communit, quod oppidum ex Thessalia decedenti aditus aperit in Phocidem et Boeotiam ([271]), quodque ut muniret post pacem Philocrateam factam ab Atheniensibus valde exoptatum erat ([272]). Ibi vero Atheniensium irritatis animis, cum Thebani tunc non iam rebus Philippi dediti, qui, ante tertiam Philippicam iis Echinum demerat (III Phil. p. 120 in.), et tum etiam Nicaeam Thessalis dedit, Elatea occupata maximo metu perculsi essent: Demosthenes id peropportunum habuit tempus, quo Atheniensibus Thebanisque foedere coniunctis Philippo obsisti posset; quum praesertim paulo ut videtur ante haec tempora novam, qua classem Atheniensium valde auxit, legem tulisset, cunctis divitibus civium, et inter hos nominatim Aeschine frustra obnisis (Aesch. in Ctes. p. 85 med.) ([273]). Tamen magna principatus parte hoc foedus Atheniensibus stetit: neque iniuste Aeschines (p. 74) nimis multa Thebanis concessa queri videtur. Nec mirum est, Aeschinem et eos, qui idem sentiebant, Demostheni quovis modo obsistere. Etenim praeterquam quod semper pacem cum Philippo obtinere studuerunt, tum etiam in Thebanos magis quam unquam irati erant, utpote quos auctores haberent simulta-

---

([271]) Strabo IX. p. 281 sq. ([272]) II Phil. p. 69 fin.

([273]) cf. Droysen. p. 190, qui ipsum Aeschinem in causa παρανόμων in Demosthenem instituta patronum (συνήγορον) accusatoris fuisse vult.

tum ac studiosos per Amphissenses iram atque odium Amphictyonum Atheniensibus parandi, id quod modo ad vanum redegerat Aeschines.

Demosthene rogante decem millia mercenariorum Amphissensibus auxilio mittuntur; Aeschines in concionibus obnititur, conqueritur (Aesch. in Ctes. p. 74. 22). Bellum Chaeroneense Athenis paratur, Phocione absente, opinor, quoniam in expeditione Byzantiis auxilio missa occupatus ac vulneratus domum nondum redierat ([274]). Qui cum ex insulis revertisset, Philippo Atheniensibus pactiones offerente ([275]), civibus, quam maxime poterat, ut paciscerentur persuadere studuit, quod rex revera propensus esset, ipseque magnopere metueret, ne res male evenirent. At Demosthenes cum iis qui in Heliaea versari solebant repugnans superior eo exstitit ([276]). Duo fausta proelia (ἡ ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ et ἡ χειμερινή) committuntur stante hieme. Deinde duas coronas Demostheni rogant Hyperides et Demomeles ([277]). Clade ad Chaeroneam accepta septimo die Metagitnionis Ol. 110. 3 (4 Aug. 338) ([278]) cum homines temerarii Charidemum, qui Macedonibus infensissimus erat, in rostra vi traxissent, ut dux crearetur: cives boni ac moderati hac re perterriti, Areopago consentiente ac cohortante, denique precibus lacrimisque effecerunt, ut salus urbis Phocioni permitteretur. Qui conditiones Philippi mitissimas accipi necesse esse censuit ([279]). Demades enim, qui pugna Chaeroneensi captus erat, Philippum inter epulas ad victoriam celebrandam institutas superbe gestientem libera atque urbana voce ad clementiam repente reduxisse dicitur ([280]). Rex legatis missis civitati Atheniensium amicitiam foedusque offert, captos ad unum omnes sine pretio liberos facit; quin etiam plurimos e captivitate redeuntium vestivit; Alexander filius et Antipater missi sunt, qui ossa caesorum Athenas reportarent, et pacem amicitiamque cum Atheniensibus iungerent ([281]). Unus ex legatis, quos hoc tempore populus ad Philippum misit, ipse Aeschines fuisse videtur ([282]): Magna quoque auctoritate tum

---

([274]) Plut. vit. Phoc. c. 14. c. 16. ([275]) Aesch. in Ctes. p. 74. 35.

([276]) Plut. l. l. c. 16. ([277]) vide Droysen. p. 80.

([278]) Plut. vit. Camilli c. 19. ([279]) Plut. vit. Phoc. c. 16.

([280]) Diod. XVI. 87. cf. Dem. de cor. p. 320 fin. πεποιηκότα τὴν εἰρήνην Demadem dicit Demosthenes, quod confirmare potius quam refutare videtur ea quae Diodorus de Demade affert.

([281]) Polyb. V. 10. Iustin. IX. 4. ([282]) Dem. de cor. p. 219. cf. Aesch. in Ctes. p. 86. 12.

fruebatur apud cives Nausicles ([283]), idem sane familiaris Aeschinis idemque clarissimus dux, quem saepius corona honoraverunt Athenienses (Dem. de cor. p. 264). Itaque viri qui idem atque Aeschines sentiebant res cum Philippo composuerunt. Verumtamen alia curare tum iis non licuisse videtur. Etenim illico post cladem acceptam, cum maxima Atheniensium esset consternatio, mox, Demosthene eiusque amicis auctoribus, strenuissime urbi defendendae operam navabat civitas. Hyperides rogationem fecit, ut servi libertate, accolae civitate donarentur, infamia notati in honorem restituerentur; decrevit populus, ut proditores haberentur ii, qui hoc in patriae periculo fugerent; ut muri quam celerrime restituerentur, valla munimentaque exstruerentur, ut liberi mulieresque ex agris in urbem cogerentur, alia ad hostes arcendos idonea. Andrus, Ceus, Troezene, Epidaurus auxilium rogabantur ([284]); Demosthenes *σιτώνης* creatus est. Lycurgo accusante Lysicles dux capite damnatur ([285]). Areopagus haec omnia iuvat ([286]); idem tamen, cum pax agebatur, clementia ductus animos iratorum Atheniensium composuit (vide supra). Post pacem factam Demostheni adversarii usquequaque insidiantur ([287]), frustra; nam civitas potius Atheniensium integra quidem libertate deiecta ac prostrata, tamen elata hac cogitatione, se certo maiorum gloria dignos se gessisse, auctorem huius gloriae adeptae regique, quem vehementer oderant, maxime adversarium impense honorare ac celebrare studebat. Itaque populus creaturus, qui in honores civium proelio occisorum orationem funebrem haberet, etsi Aeschines, qui clara sua sonoraque voce omnibus praestare reperiebatur, ad hanc orationem habendam maxime idoneus erat propositus, et Demades modo pacem illam gratam et exoptatam effecerat, honestissimum hoc munus Demo-

---

([283]) Aesch. l. l. p. 76. 20: *ὑμεῖς δὲ κατὰ μὲν τοὺς πρώτους χρόνους οὐδ' ἐπὶ τὰ ψηφίσματα εἰᾶτε τὸ Δημοσθένους ἐπιγράφειν ὄνομα, ἀλλὰ Ναυσικλεῖ τοῦτο προσετάττετε.*

([284]) Lycurgi orat. in Leocratem 6 et 11. Dem. in Aristogit. II. p. 803. Vita X orat. Hyperidis. cf. Longin. de sublim. xv. in ius vocatus: „Hoc decretum, inquit (Hyperides), non orator scripsit sed proelium Chaeroneense." ([285]) Diod. XVI. 88.

([286]) Lyc. l. l. 11 dicit, Areopagum tunc civitati maximae saluti fuisse.

([287]) Dem. de cor. p. 310: *καὶ μετὰ ταῦτα συστάντων, οἷς ἦν ἐπιμελὲς κακῶς ἐμὲ ποιεῖν, καὶ γραφάς, εὐθύνας, εἰσαγγελίας, πάντα ταῦτ' ἐπαγόντων μοι, οὐ δι' ἑαυτῶν τό γε πρῶτον ἀλλὰ δι' ὧν μάλιστα ὑπελάμβανον ἀγνοηθήσεσθαι — ἐν τοίνυν τούτοις πᾶσι μάλιστα μὲν διὰ τοὺς θεούς, δεύτερον δὲ δι' ὑμᾶς καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας Ἀθηναίους ἐσωζόμην.*

stheni suo permisit; quamquam Aeschines cum Pythocle Demostheni olim amicissimo eum multifarie arguens eique maledicens hoc summo honore prohibere conatus est (Dem. de cor. p. 321). Pergebat Demosthenes gratia populi fruens res publicas administrare. Eodem anno exeunte (28 Thargelionis) legem tulit de exstruendis muris (288); ipse iis praeficitur τειχοποιός, indeque maximam gloriam ob munificentiam suam accepit.

§. 20.

Hinc apparet, Athenienses muris refectis primo quoque tempore datae occasioni Philippo obluctandi non deesse voluisse, atque Demosthene auctore, quamvis Philippus iis tantopere pepercisset, tamen eadem sequi quae antea, quam clade nondum prostrati essent. Non traditum habemus, quid Philippus de hoc Atheniensium studio senserit, quod fugere eum non potuit; tamen certo ex Atheniensibus quicunque bello liberam civitatem laetabantur, anxii ne denuo Philippi ira excitaretur, aegre ferebant. Tum Ctesiphon coronam auream magnis Dionysiis proclamandam Demostheni rogavit. Adversariis eius huic rogationi obsistendi bona offerebatur occasio, cum Demosthenes nondum rationem dedisset de rebus administratis, ac legibus vetitum esset in theatro coronam proclamari, ipseque vero Demosthenes non bene reipublicae consuluisset. Aeschines igitur, quod contra leges rogasset, Ctesiphontem accusavit. Non constat, qui sex annis praetermissis demum causa haec iudicari potuerit. Paulo post rogationem Ctesiphontis Philippus occiditur, auctumno a. 336, initio anni Pythodemi Ol. 111, 1. Demosthenes gaudio magnaque spe plenus senatum in vituperationem Macedonum adduxit, quod sacrificia laeti nuncii instituit, postquam paulo ante aureae coronae Philippo ab Atheniensium civitate traditae erant (Diod. XVI. 92). Mox defectio Thebanorum, Atheniensium anceps agendi ratio (289); deinde Thebis exstinctis expostulatio Demosthenis et aliorum, de quibus synedrium Graecorum Corinthi iudicaret, Alexandrique per Demadem reconciliatio (290). Phocion enim, cum, ut ultro mortem subirent,

---

(288) Aesch. in Ctes. p. 57. 36. vide Droysen. p. 19 sqq.

(289) Auctorem huius defectionis fuisse Demosthenem a Persis corruptum tradunt Iustin. XI. 2. Arrian. 1. 10. Diod. XVII. 4.

(290) Diod. XVII. c. 8 cet. imprimis c. 15. Aesch. in Ctes. p. 76. Plut. Dem. c. 23.

quo calamitatem patriae averterent, poposcisset, a populo indignato ac tumultuante decedere coactus est (291). Ipse Phocion tunc ad Alexandrum missus hunc ita flectit, ut principatum declararet rex Atheniensibus, si quid humani sibi accidisset. Omnino Phocion vir honestissimus adeo ab Alexandro honorabatur, ut soli ei rex ex Asia litteris scriptis χαίρειν praeponeret (292).

Atque iterum patria servata est ab iis, qui cum proditoribus sensisse dicuntur. Attamen maxima auctoritate fruebatur Demosthenes, cum Alexander in interiore Asia difficultatibus ac periculis urgeretur, elatus et in adversarios, imprimis in Aeschinem invehens, litterarum commercio, ut videtur, de omnibus quae Macedones agerent certior factus, indeque civium animos ad spem erigens, multa etiam de suo addens (293); ita ut Atheniensium populus, qui pristinum principatum gloriamque maiorum etiamtum summo cum desiderio repetebat et hac cogitatione exsultabat, nullum nisi Demosthenem popularem haberet, eumque ab omni adversariorum invidia sibi defendendum putaret. Haec sunt, cur Aeschinem in causa Ctesiphontea damnare Athenienses sancti officii duxerint.

Aeschines igitur, et cum hoc haud exigua civium imprimis nobilium et eruditorum pars, Graecia pacata ac singulis civitatibus a bello invicem inferendo prohibitis, id futurum esse speraverat, ut in quiete etiam intestina vivi posset (294). Spes hos omnes fefellit: princeps rixarum ac controversiarum semper exstitit Demosthenes. In quem, cum iam sex annis ante rogatione Ctesiphontis suspensa per totum hoc tempus causa iacuisset, uti odium atque iram civium conflaret, et hoc facto uti potentiae eius obtrectaret, eoque belli studium, quod semper tenebat Demo-

---

(291) Diod. XVII. c.15. (292) Duris et Chares ap. Plut. vit. Phoc. c.17.

(293) Aesch. in Ctes. p.77. 9: Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ πάσῃ τῇ δυνάμει Δαρεῖος καταβεβήκει, ὁ δ᾽ Ἀλέξανδρος ἦν ἀπειλημμένος ἐν Κιλικίᾳ, πάντων ἐνδεής, ὡς ἔφησθα σύ, αὐτίκα δὲ μάλα ἤμελλεν (ὡς ἦν ὁ παρὰ σοῦ λόγος) συμπατηθήσεσθαι ὑπὸ τῆς Περσικῆς ἵππου, τὴν δὲ σὴν ἀηδίαν ἡ πόλις οὐκ ἐχώρει καὶ τὰς ἐπιστολάς, ἃς ἐξηρτημένος ἐκ τῶν δακτύλων περιῄεις, ἐπιδεικνύων τισὶ τὸ ἐμὸν πρόσωπον ὡς ἐκπεπληγμένου καὶ ἀθυμοῦντος, καὶ χρυσόκερων ἀποκαλῶν καὶ κατεστέφθαι φάσκων, εἴ τι πταῖσμα συμβήσεται Ἀλεξάνδρῳ κ. τ. λ. cf. ibid. p.77. 25 sqq. sine dubio ipsissima verba Demosthenis.

(294) Isocr. de pace fin. .. ὡς ἐν ταῖς τῆς Ἑλλάδος εὐπραγίαις συμβαίνει καὶ τὰ τῶν φιλοσόφων πράγματα πολλῷ βελτίω γίγνεσθαι.

sthenes, ex Atheniensium animis tolleret: rursus in Ctesiphontem exstitit Aeschines, causamque instituit. Incertus sum, denuone tum Ctesiphon rogationem tulerit. Tempus vero quo hac orationes habitae sint, ex ipsis orationibus apparet. Cum Pythia commemorentur instantia, tertius est annus Olympiadis; atque unus tantum statui rerum congruit is, quem tradunt Dionysius ([295]) et Theophrastus (charact. 7), Olymp. 112 (a. 330). Ineunte fere mense Septembri a. 330 eas habitas esse voluit R. Rauchenstein ,,de tempore quo Aeschinis et Demosthenis orationes Ctesiphonteae habitae sint commentatio. Aroviae 1835", argumentum sumens de Darii morte ([296]) et de Pythiis non vere sed auctumno paucis diebus post habitas orationes celebratis. Refutavit idem in hac commentatione Westermannum, qui (de litibus quas Demosthenes oravit ipse. Lips. 1831; sive Quaestionum Demosth. Partic. III.) demonstrare studuit, Demosthenicam Ol. 111. 3 habitam, Aeschinis demum Ol. 112. 3 *scriptam* esse. Quibus deinde contra Rauchensteinium idem disputavit (Zeitschrift f. Alterthumswiss. 1835. Hft. 12) suam sententiam non satis stabiliisse videtur, id quod ipsum Boeckhium dicere memini. Quum enim orationes, postquam habitae sunt, ab auctoribus πρὸς ἔκδοσιν scriberentur, fiebat, ut nonnulla in his non satis sibi responderent. Nec miremur, Aeschinem multa eorum, quae Demosthenes dicturus esset, iam in sua oratione proposuisse; namque ea quae alter alterum arguebat, crebris sermonibus publice usurpari solebant.

Quae res ipso hoc tempore Aeschinem commoverit ad causam denuo suscipiendam, hanc esse arbitror. Quum enim Athenis tum plures ab iis qui a partibus Demosthenis stabant, in ius vocari, atque imprimis Lycurgo aliisque auctoribus gravius in eos consuli vidisset, qui tempore pugnae Chaeroneensis urbe relicta opibus suis servandis operam dedissent ([297]),

---

([295]) ep. ad Amm. § ιβ′ cum emendatione Bentleii de Phalaride p. 447. Lips.

([296]) Arrian. III. 22, 3: Darium interemptum esse ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθηναίοις Ἀριστοφῶντος μηνὸς Ἑκατομβαιῶνος (Iulio a. 330).

([297]) Autolycus a Lycurgo oratione accusatus ab Areopago damnatur post pugnam Chaeron. et ante Leocratis causam (a. 330). vid. Harpocr. Αὐτόλυκος. cfr. Lycurgi or. in Leocr. 13. Clinton F. H. p. 161. — Aristogiton, qui Hyperidis rogationem illico post pugnam Chaer. latam παρανόμων accusaverat, a Lycurgo et a Demosthene (sane; etsi spuria sit alterutra oratio Demosth. vid. Ranke vit. Dem. p. 109) in ius vocatur. Paulo ante Ctesiphonteam causam Leocrates a Lycurgo reus factus pari calculorum numero absolvitur: vid. Lyc. in Leocr. cfr.

ex quibus alii post alios revertebantur; cumque inde potentiam adversariorum, praesertim oratoribus quibusdam cum imperatoribus aliquot coniunctim agentibus, in civitate crescere et invidiam Atheniensium in Macedones simultatesque in dies augeri intellexisset: haec, metuens ne et externa et interna pax et otium, quae fundamenta reipublicae habebat, everterentur, non sinenda sibi ratus uno quo poterat modo obnitebatur eo, ut principem illarum partium Demosthenem, cui summos honores tum Ctesiphonte rogante Athenienses daturi erant, hanc rogationem accusans ut contra leges latam, ipsum Demosthenem pessime de republica meritum omnisque infortunii auctorem monstraret, quo eum si posset prorsus perderet. Ex civitatibus Graeciae undique erat ad hoc iudicium concursus. ,,Quid enim aut tam visendum aut audiendum fuit, quam summorum oratorum in gravissima causa accurata et inimicitiis incensa contentio?" (Ciceronis verba sunt de opt. gen. or.). Sane inimicitiis incensa contentio: vita publica utriusque agebatur; ideo utriusque in orationibus gannientis mendacia insolentissima, contumeliae verborum in alterum ab altero cumulatae, quarum nosmet nostris temporibus taedet nomineque canorum oratorum pudet. Tamen uti hac causa atque omnino ratione loquendi, ita his conviciis Aeschine superior exstitit Demosthenes.

Longum est neque ad nostra nunc pertinens exquirere et persequi, qua admirabili atque elegantissima ratione Demosthenes per totam orationem ex sua omniumque Atheniensium, cuius saepe mentionem facit, quamque se auctore tunc semper eos secutos esse praedicat, gloria a maioribus accepta res gestas explicet ([298]), adversarium acerbis facetiis irridens dictisque mordacibus pungens in periculum proiiciat. Unumquemque iuvabit ac valde delectabit inter legendum hoc spectasse. Ipsum Aeschinem,

---

Aesch. in Ctes. p. 89 extr. fere. schol. Bekk. p. 269. Alios, qui Athenis decessissent, ab Areopago damnatos vide Lyc. in Leocr. 13. cf. alterum ad orat. de cor. argum. — *καὶ κατὰ τῶν βαρβάρων ἐστράτευσεν* (Alexander)· *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι καιρὸν ἔχειν ἐνόμισαν κρίσει παραδοῦναι τοὺς προδότας τοὺς τὴν Ἑλλάδα ἀδικήσαντας, καὶ οὕτω συνεκροτήθη τὸ δικαστήριον.*

([298]) ut p. 247 - 249. cfr. p. 258. 284. 288 fin. p. 295 et 296: Athenienses egisse perinde atque in bellis Persicis; se id iuvisse; ergo et ipsum et populum ab Aeschine accusari. p. 302 se plus egisse quam Thrasybulum Callistratum Aristophontem Cephalum. p. 310. p. 325 fin. cet. cet.

antequam finem orationi faceret Demosthenes, de salute desperasse suamque damnationem praevidisse probabile est.

Unus tamen erat qui maximo oratori, non suae aetatis sed omnium temporum clarissimo, obsistere posset. Atque summae nobis esto voluptati, quod illi summi oratores illis temporibus illis orationibus acerrimum certamen omnibus viribus conseruerunt. Τοιγάρτοι τί τῶν ἀνελπίστων καὶ ἀπροσδοκήτων ἐφ᾽ ἡμῶν οὐ γέγονεν! οὐ γὰρ βίον γ᾽ ἡμεῖς ἀνθρώπινον βεβιώκαμεν, ἀλλ᾽ εἰς παραδοξολογίαν τοῖς ἐσομένοις μεθ᾽ ἡμᾶς ἔφυμεν. Aesch. in Ctesiph. p. 72. 23.

Pag. 4 cum de Glaucothea Aeschinis matre dicebam, annotare debebam illam apud Libanium (cuius locum apposui p. 3) Λευκοθέαν vocari, negligentius credo. p. 7. lin. 5. 6 explicatius quam in annot. 15 factum est addendum erat, Ruhnkenium l. c. pro Antalcida et Leodamante, qui Aeschinis magistri perhibentur, cogitasse de Alcidamante. ibidem commemorare neglexi locum illum qui est ap. Bekkerum Oratt. Att. III. p. 247. not. ὅτι μαθητὴς ἐγένετο, ὡς μὲν Δημήτριος ὁ Φαληρεύς φησι, Σωκράτους τοῦ φιλοσόφου, εἶθ᾽ ὕστερον Πλάτωνος· ὡς δὲ Καικίλιος καὶ Ἰδομενεὺς καὶ Ἕρμιππος ἱστοροῦσιν, οὐκ ἤκουσε τούτων τῶν ἀνδρῶν μαθήσεως χάριν. φασὶ γὰρ ὡς ὅτι οὐδὲν τοῦ χαρακτῆρος τοῦ Πλατωνικοῦ σώζει, οὔτε τὸ ἀκριβὲς καὶ καθαρὸν καὶ ἀπέριττον καὶ εὔρυθμον ἀλλὰ κεχηνυῖά πώς ἐστιν αὐτοῦ ἡ ἰδέα τοῦ λόγου καὶ ἄτεχνος μὲν καὶ προπετὴς καὶ εὐχερῶς ἐπὶ τὸ λοιδορεῖν αἰσχρῶς καὶ ἀπρεπῶς ῥήτορι ἐξαγομένη, ἔχουσα δέ τι εὐφυὲς καὶ εὐάγωγον καὶ οἷον ἂν γένοιτό τινι ἐκ φύσεως καὶ μελέτης ἀφανοῦς. quod Socratis dicitur discipulus in hac nota et superius in vita Apollonii apertus est error, quem temporum rationes evincunt, ideoque immutandum illud putavi in Isocratis nomen, quod habet Philostratus. fortasse ergo sic scripsit auctor annotationis sive ipse sive is quem sequebatur ducem: ὡς μ. Δ. ὁ Φαληρεύς φησιν, Ἰσοκράτους, εἶθ᾽ ὕστερον Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου. de Idomeneo videndus est Meierus in commentatione p. 4. not. 6 citata, Hermippi notitiam neglexit Lozynski p. 99 et p. 115. p. 64. not. 231 Spengelii disquisitioni de Arthmio Zelita addenda est eruditissima Funkhänelii commentatio in Zimmermanni diar. philol. h. a. n. 37 sq. qui Demosthenem etiam defendere studuit ab ea opinione quasi ἄτιμος idem putarit esse quod ἀτιμώρητος.

Si qua praeterea omissa sint a nobis imputentur ea non voluntati sed debilitati humanae iudiceturque potius de iis quae dare voluimus, num recte illa et strenue persecuti simus. etenim hoc propositum habuimus ut missis opinionibus partiumque studiis quod ex verbis erui potuit rerum simplici repeteremus sermone. neque absoluta plane nullisque indigentia novis curis haec tradimus erudito lectori, sed ut initium potius confirmandi etiam quod investigari iam ab aliis coeptum est veri. scr. Berolini a. d. Id. Iul. a. MDCCCXLI.

